



CAROLI

BOVCHERONI

INSCRIPTIONES

CAROLI
BOVCHERONI

SPECIMEN

INSCRIPTIONVM
LATINARVM

EDENTE

THOMA VALLAVRIO

TAVRINI
EX TYPIS IOSEPHI POMBA ET SOC.
M. DCCC. XXXVI



THOMAS VALLAVRIVS

L. S.

Erunt fortasse qui mirentur, quod nostra hac tempestate, qua tituli in monumentis italice passim incidi coepti sunt, de Caroli Boucheroni V. Cl. Latinis Inscriptionibus edendis cogitaverim. Scio equidem complures esse, qui huic sententiae subscribant,

romanae linguae utpote intermortuae tandem esse valedicendum; vernaculam nobis datam, qua tum in publicis, tum in privatis rationibus utamur. Idem prorsus de romano ac de persico, de aegyptio, de coptico sermone esse dicendum, quos doctioribus adire liceat, ne antiquissima illorum populorum monumenta penitus ignorentur; at furiosum plane esse, in linguis supra memoratis operam conterere, ut per illas sensus nostros cum caeteris communicemus. An Romanos, maiores nostros, historiam, annales, carmina graece scripsisse? Atqui hoc illis facilius contingere debuit, quum graeca lingua tunc temporis omnino vigeret et maxime excoleretur. Ergo quid nos, itali homines sermonem nostrum caeteroquin politissimum aspernabimur, ut peregrinam linguam et obsoletam in deliciis habeamus? Quorsum

igitur monumenta populorum oculis obiicientur, si titulos iisdem inscribas, qui populi captum effugiant? Praeterea, quum post romana tempora maxima rerum commutatio facta sit, atque in iis potissimum, quae ad Religionem pertinent; ut nova prorsus sacerdotiorum, magistratuum, munerum nomina apud nos sint inducta; qui fieri poterit, quaeso, ut in tanta argumentorum insolentia, aut obscuriora quaedam, aut quae a nostris moribus et institutis sint aliena, aut vocabula demum non efferas, quae a romanae linguae venustate penitus abhorreant?

Haec et alia huiuscemodi adversus literas latinas memini saepenumero me audire. Verum isti, qui tam acriter in romanam linguam invehuntur, dubito utrum ex animo dicant, an alio quopiam studio ducti talia potissimum effutiant. Neque haec adeo vere

dicta existimo, ut nequeant omnino refelli. Quis enim vere Romanorum linguam apud nos intermortuam appellet, aut eam cum Orientalium linguis comparet, quum illi a pueris assuescamus, quum liturgia plane latina sit, quum *Patres* qui dicuntur *Sancti* opera sua latine digesserint, quum fundamenta legum denique apud nos sint latina? Quis autem in Orientalium scriptis partes omnes noverit: quum e contrario eadem, quae Romani de scriptoribus suis protulerunt iudicia nobis probentur; quum romana verba, ut aiebant Stoici, sensu tincta sint; ut quemadmodum colores pictori, ita haec nobis suppeditent unde et mores, et affectus, et cogitationes nostras graphice depingamus? Quid quod, si Romanorum scriptis neglectis optimum illud iudicium vix assequi possumus, quod in

literis maximum est, et sine quo inutilia erunt caetera? Aurea temporum simplicitas, et rerum publicarum ratio fecerunt, ut in eorum operibus, qui augustea praesertim aetate viverent, candor ille eluceret, quem in sequioris aevi scriptoribus nequicquam quaeras. Quaenam vero gens unquam floruit, si graecam excipias, apud quam par scriptorum proventus exstiterit, in quibus maiora ad discendum, ad imitandum reperiantur?

Verum ne actum agere videar in hisce diutius immorando, venio nunc ad illos, qui titulos omnes non alia quam vernacula lingua exaratos vellent, causam interponentes, latinas inscriptiones a populo non intelligi, nec fieri posse, ut aptis verborum formulis utamur, propterea quod rerum et temporum adiuncta sint immutata. Quorum animadversionibus antequam respondeo,

ab iisdem petam, num titulos, quos in monumentis legimus, praesentibus tantum et vivis positos esse, an ad posterorum memoriam et ad peregrinos spectare arbitrentur? Rursus interrogabo an populares et monumentis coaevi causam ignorent, propter quam hoc vel illud monumentum fuerit excitatum; ut ad titulum iis sit confugiendum? Quibus dictis nego aut veterem illam deletam superstitionem, aut res immutatas facere, ut aptissimis dictionibus non utamur in latinis titulis, servata pariter sermonis elegantia et perspicuitate. Fateor equidem maxima diligentia et acri sane ingenio opus esse; at hoc docte et commode fieri posse iam exemplo suo ostenderunt Franciscus Pola, Matthaeus Egitius, Guido Ferrarius inter nostrates, et prae caeteris egregius ille in his literis Morcellius, qui optimas romanas voces usurparunt

ad nostras easdemque religiosissimas res significandas. Ad hoc, quum ad posteros potissimum spectent inscriptiones, quis italam linguam quam latinam malit, quae utpote nullis iam mutationibus obnoxia, maiorem nobis iniiciat spem, fore ut vel remotissimis nepotibus ambigendum non sit de germana vocabulorum significatione? Quod certe de recentioribus linguis nemo sanus dicat, in quibus quum vocabula perpetua vice cadant et renascantur, fit etiam ut eorum sensus haud raro immutetur. Adde iam maius romani sermonis decus, quod facit ut res ipsae tenuiores, de quibus loquendum sit, nitòre quodam illustrentur. Adde pressum dicendi genus, quo fit ut multa paucis aperiamus. Adde etiam monosyllabas voces notandis casibus, propter quas vernaculae saepe inscriptiones languescere visae sunt. —

Neque tamen is ego sum, qui titulos universos italice exaratos respuam. In epitaphiis praesertim, quae in sepulcretis insculpuntur ad propinquorum dolorem quodammodo leniendum in cari capitis desiderio, quis vernaculas improbet inscriptiones? At illud vere videor posse contendere, in monumentis, quae in foro, in triviis sint erecta, latinas inscriptiones potissimum esse incidendas.

Haec erant praemittenda, ut a quorundam calumnia romanos titulos vindicaremus, in quibus condendis adeo excellit Boucheronus noster, quem post augustea tempora multo elegantissimum scriptorem latinum nostram tulisse aetatem possumus gloriari. Ipse enim, qui in oratione perpetua ut qui maxime est ornatus, in titulis latinis concinnam brevitatem sic adamavit, ut de elegantia aut perspicuitate quid-

piam non detrahatur. Nihil praeterea in illis ab usu quotidiani sermonis intermissum, quod quibusdam in hoc scriptionum genere falso adrisit; nihil putidius aut longius quaesitum invenias; ut illorum scriptor, romanus ipse potius, quam romanorum imitator dicendus esse videatur. -- In his acerrimum Boucheroni iudicium miraberis, qui egregio verborum delectu, facta quae memorantur stylo exaequavit. Ingenium vero, pene dixerim, virens, atque eiusmodi, ut varios vitae casus depingens, legentium animos ita pervadat, ut cum illo timeant, sperent, doleant, laetentur. Et ne singula percensendo ulterius provehar, satis sit illos memorare, qui ad Euphrasiam Solariam, Caroli Valpergae Masinii uxorem inscribuntur, in luctu filiae Mariae. Quanta ibi affectuum varietas! Quantum omnia sunt ad dolorem com-

posita! quanta demum sententiarum altitudo! plane ut nihil aptius, nihil commodius excogitari posse videatur. — Ex hisce titulis nonnullos italicis modis aptavit Felix Romanius, summi ingenii vir, et poëtarum nostrae aetatis facile princeps, quos idcirco operi subtexui, ut lector doctum interpretem demiratus, animadvertat etiam quanta et quam dissimulata poësis in Boucheroni inscriptionibus lateat.

Dabam Augustae Taurinorum, VII kal. decembres, anno MDCCCXXXVI.

INSCRIPTIONES

I.

ANNA PEROTTA.

DA BONA VERBA HOSPES . CASTA ET STRENVA SVM NEC IGNOTA CIVIBVS .

CAREA ANTIQVA ME GENVIT TAVRINIS PROXIMA ANNA VOCOR . LAVDATA OLIM PVELLA SI CHOROS DVCEREM ET MVLTIS AMBITA PROCIS VNI TAMEN PEROTTO FIDA QVI DECVS IN MILITIA GESSERAT . HVIC VIRGO NVPSI HVNC COMITATA SVM IN ARDVA BELLA CERTA SIMVL MORI VT ABRADATEN PANTHEA .

AD VARVM EQVO MERVI AD NILVM CVM GALLIS FORMAM PRO VIRO PROBANS . MEMPHIN VIDI ET THEBAS CENTVM PORTARVM ET SYENEN SVB SOLIBVS HORVM ET OSIRIDEN MIRATA MONSTROSA NVMINA . AD PYRAMIDES

CONFLIXI VBI VELOCES ARABES MACTAVIMVS PVGNANTES CONNIXO POPLITE EQVITES PEDITESQVE . POSTEA PER SOLITVDINES ERRAVIMVS EXHAVSTO POTV ENECTI SITI VITAM TOLERANTES PALMIS AGRESTIBVS . SYRIA DEIN IDVMAEA NOS EXCEPIT IRRIGVA FONTIBVS . EO VENERAT EXERCITVS IOPPEN PHOENICVM ET DIVITEM TYRVM . ARMIS OPPVGNATVM . SED SVBITA CALAMITAS NOS VICTORES OPPRESSIT . SAVCIA CAPTIVA BARBARIS SORTITO OBTIGI QVI ME AQVAS TAVRINAS MISERVNT MARI . BIENNIO IN SERVITVTE MANSI VIDVA VIVO CONIVGE EXEDENS COR DESIDERIO MOERENS DVLCEM PATRIAM ET PROPINQVOS . TANDEM FRVSTRATA VIGILES PER ILLVNEM NOCTEM ME HOSTIBVS ERIPVI.

GERMANIAM DEINDE OBIVI INVISVRA VIRVM . IS REDIBAT EX IENA VICTOR OB VIRTVTEM

DONATVS FRAMEA . OCCVRRI CVM MITRA ET AMICTV BARBARO . VBI ME ADSPEXIT PRO MORTVA DEFLETAM PRIVS VISIS VT MANIBVS EXSILVIT NESCIENS AN VIVERET . MOX ME EXCEPIT AMPLEXV ET FOVIT CALIDIS LAVACRIS . COMMILITONES INTEREA COENAM PARABANT CIBIS CASTRENSIBVS . NOS CYATHOS HAVRIRE HIC MERVM DARE HIC SVAVIVM . TVNC VIR PROCACEM INTVENS . HEVS TV AIEBAT . QVID TIBI TACTIO HANC . MEA EST NE PER IOVEM ADTIGERIS . COORIEBATVR RISVS ET QVISQVE LYAEVM PATREM ET AMOREM INVOCANS ME DICTIS GAVDEBAT LACESSERE . SIC COENA AD MVLTAM NOCTEM PRODVCTA LARGE LIBAVIMVS GENIO LAETANTES REDITVM ET VICTORIAM . QVIPPE IMPERATOR DEVICTA REGIONE A RHENO AD SARMATAS NOS AFFECERAT ADOREA .

TVNC NOSTRA · COHORS IN IBERIAM TRANSIIT . EGO VIRVM SEQVOR PER PYRENAEA IVGA . SVNT CASVS ET PVGNAE MVLTOSQVE HOSTES ORCO DEMITTIMVS . SED GENS OBDVRATA CLADIBVS IN MARTEM REDIBAT FEROCIOR . NOS VICIMVS ACIE ILLI NOS FAME ABSVMPTIS FRVGIBVS . VIDI ARVA COLLVCENTIA FLAMMIS . VIDI GRANDAEVAS MATRES VT THYADES RVERE IN PROELIA . ALIAS SEMIANIMES CAPTIVOS LANIARE FERRO . DVM MANVS AD SAGVNTVM CONSERIMVS CAPIOR EXCVSSA EQVO MEQVE IN NAVEM DETRVSAM BRITANNVS PER TRIENNIVM TENVIT ·

INDE REVERTOR CVM VICTORIVS REX RECEPTO REGNO IN GALLOS ALLOBROGES LEGIONES MITTERET TVTATVM FINES · IBI PEROTTVS MEVS PINNAS MVRORVM PREHENDENS MANIBVS HOSTILEM IN VRBEM PRIMVS IRRVMPIT ME COMITE.

OVANS IN PATRIAM REDII . SED OMNIVM RERVM VICISSITVDO EST . VIR ADVERSO VVLNERE INTERIIT . EGO SENECTA DEFLORVI . QVAE AMAZONES AEQVAVI NVNC LANA VICTITO INCERTO LARE .

ERAT SACRIFICVLVS IN AGRO OPIMO AFFINIS MEVS . HVNC ADIVI ROGANS PER SOLITVDINEM MEAM ET COMMVNES PENATES VT NE AEGRAM SQVALORE ANNISQVE OBSITAM DESERERET . IS COELVM OBTESTATVS ME INANEM DIMISIT CORREPTAM CONVICIO .

INSPERATO TAVRINI ADFVIT ANGELIVS PICTOR DOMO ROMANVS ARGIVVS ARTE ME PINGENS IN SENE QVEM FILIA TVRGIDVLIS FLETV OCVLIS VBERIBVS ALIT IN CVSTODIA . TABVLA NOTAM FECIT · SPECTATVM ADMISSVS ALOISIVS BIONDIVS EQVES ROMANVS FLOS DELIBATVS POPVLI REM NARRAVIT CAROLAE

AVGVSTAE REGIS SORORI QVAE NON PASSA
EST SVAM BENIGNITATEM IN ME CLAVDIER .
EXINDE IN BENEFICIIS AD AERARIVM DELATA
RETVLI PRAEMIA FORTIVM . MVLTI INSVPER
ANNVLOS TORQVES ET ARMILLAS MILITARIA
DONA MIHI MISERVNT MVNERI . HINC
POPVLARES ME PER VIAM MONSTRANTES
DIGITO EN AIVNT HAEC ILLA EST .

SIC RECTIVS AGO ET VOLITO VIVA PER ORA
VIRVM . TV INTEREA HOSPES VALE .

II.

TAVRINI

AD S. IOANNIS

XII kal. mart. an. MDCCCXXIV.

Ad templi fores.

VICTORIO · EMMANVELI · REGI

FRATRI · OPTIMO

REX · CAROLVS · FELIX

FVNEBRIA · CVM · LACRIMIS

Ad Templi valvas.

VICTORIVS · EMMANVEL
VICTORI · F ·

ADOLESCENTIA · IN · BONIS · ARTIBVS · DOMI
TRANSACTA · FLORENTE · AETATE · MARIAM
THERESIAM · AVSTRIACAM · VXOREM · DVXIT · ET
CVM · EA · VIXIT · CONIVNCTISSIME · BELLO · GALLICO
AD · ALPES · COTTIAS · ET · MARITIMAS · CVM · IMPERIO
MISSVS · A · PATRE · IMMINENTEM · HOSTEM · CRVENTIS
DIMICATIONIBVS · DIV · CONTINVIT · OB · COMITATEM
ALLOQVI · ET · ALACRITATEM · IN · PERICVLIS · CARVS
EXERCITVI · ABDICANTE · CAROLO · IIII · FRATRE
REGNO · SVCCESSIT · RECVPERATA · SVBALPINA
DITIONE · LATIVSQVE · AD · MARE · PROPAGATA
VETERES · ET · NOVOS · POPVLOS · AEQVITATE
IMPERI · IN · SE · CONFIRMAVIT · SEDITIONE · ORTA
NE · IN · SVBITO · RERVM · DISCRIMINE · SI · QVID
FORTVNAE · CONCEDERET · REGIAE · DIGNITATI
DEESSET · INVIOLATVM · REGNVM · CAROLO · FELICI
FRATRI · TRADIDIT · NON · INVITVS · INVITO
OBIIT · LACRIMABILIS · OMNIBVS
III · IDVS · IAN · A · M · DCCC · XXIIII

Ad templi arcus.

TE · POST · VARIOS · RERVM · CASVS
AD · NOS · REVERSVM
PATREM · PATRIAE · SALVTAVIMVS
HEV · NVNC · TIBI
QVOD · VNVM · SVPEREST
IVSTA · PERSOLVIMVS
PACEM · ET · QVIETEM · SVPERVM
ADPRECANTES

PALAESTRAM
INSTITVIT
EPHEBIS · AD · MINISTERIVM · AVLAE
ET · AD · MILITIAM · TOLERANDAM
DELECTIS
QVI · ANIMVM · DISCIPLINIS
CORPVS · LABORIBVS
EXERCEANT

VTRAMQVE · LIGVRIAE · ORAM
LATIS · ITINERIBVS · INSTRVIT
COMPLANATO · TRACTV · APENNINI
AGRVM · LVNENSEM · ETRVRIAE · CONIVNGIT
A · GENVA · VRBE
PER · NOVIVM · ET · DERTONAM · AD · LEPONTIOS
A · SAVONA · PER · STATIELLOS · AD · ASTAM
COMMEATVS · MVNIT

BARBAROS
INFESTO · MARI
ENOSIN · ET · HIERACVM · INSVLAS
ADORTOS
IN · FVGAM · VERTIT
PRAESENTI · TERRORE · DEPVLSO
FVTVRAE · INCOLARVM · SECVRITATI
PROSPICIT

DVCES

QVI · PROELIVM · STRENVE · FECERINT

MILITES

QVI · FORTEM · OPERAM · IN · BELLO · DEDERINT

IN · ORDINEM · SABAVDVM · A · SE · INSTITVTVM

ADLEGI · EDICTO · IVBET

NE · DESINT

BENE · IAM · MERITIS · PRAEMIA

MERITVRIS · INCITAMENTA

IMPERIO · AD · MARE · PROLATO

GENVAE · PORTVM

NOVIS · SVBSTRVCTIONIBVS · COMMVNIT

LVDVM · CLASSIARIO · MILITI · APERIT

MERCATORES · ET · NAVICVLARIOS

IN · EMPORIIS · ET · LONGINQVIS · STATIONIBVS

FOEDERIBVS . ET · MAIESTATE · NOMINIS

TVETVR

MOTV · IN · GALLIA · EXORTO
LEGATOS · CVM · EXERCITV
GRATIANOPOLIM
MITTIT
VRBEM · PRIMO · ADITV · CAPTAM
REGI · SVO
REDDIT · EX · FOEDERE

PIVM · VII · PONT · MAX ·
TAVRINVM · VLTRO · ADVENTANTEM
EFFVSIS · GAVDIO · LACRIMIS
EXCIPIT
TANTVM · HOSPITEM · VENERATVS

MEMOR · AVORVM
OMNES · RELIGIONIS · PARTES
SERVAT · SANCTISSIME
PIETATE · ET · CLEMENTIA
DEMERENS · DEVM · ET · HOMINES

CVM · REGNARET
MEMINIT · SE · ESSE · HOMINEM
HVMANA · CVRAVIT · VT · MORTALIA
DIVINA : VT · IMMORTALIA

TV · DEVS
PATER · IMMORTALIS
VICTORIVM · COELO · EXCIPE
QVI
MANSVETVDINE · SVA
TVAM · BENIGNITATEM
IN · TERRIS · EXHIBVIT

CVSTOS · VIRTVTIS · PVBLICAE
SVBALPINAM · SOBOLEM
ANTIQVIS · MORIBVS · ORNAT
VT · IN · SPEM · REGNI
ADOLESCAT

III.

AD S. IOANNIS.

Ad templi fores.

MARIAE · ANNAE · SORORI

REX · CAROLVS · FELIX

I · P ·

QVISQVIS · INGREDERIS

PACEM · SVPERVM · ADPRECARE

ANIMAE · CANDIDISSIMAE

Interius.

MARIA · ANNA

VICTORI · III · ET · FERDINANDAE · BORBONIAE · F ·

MAVRITI · CHABALLICENSIVM · DVCIS · VXOR

TRIVM · REGVM · SOROR

IN · SINV · PARENTVM · EDVCATA · FESTIVITATE
INGENI · ET · COMPTIS · MORIBVS · AVLAM · HILARAVIT
IN · IPSO · AETATIS · FLORE · NVPTA · MAVRITIO
CHABALLICENSIVM · DVCI · RARA · CONCORDIA · CVM
EO · VIXIT · SVPERANTE · IAM · VNDIQVE · GALLORVM
FORTVNA · CVM · REGIA · DOMO · IN · SARDINIAM
PROFECTA · INFELICISSIMA · TEMPORA · SIC · TVLIT
VT · PER · INCERTOS · VITAE · CASVS · NVNQVAM
ANIMO · DESPONDERE · VISA · SIT · INDE · SAEVIENTIS
MARIS · VI · MINIME · DETERRITA · LABRONEM · VENIT
MOX · FLORENTIAM · ROMAM · NEAPOLIM · ATQVE
ITERVM · ROMAM · VARIIS · ITINERIBVS · ADIVIT
IBIQVE · AMISSO · VIRO · IN · ANGVSTA · RE · MODICO
IN · SE · SVMPTV · LIBERALITATE · ERGA · ALIOS · ET
STVDIO · BONARVM · ARTIVM · ENITVIT · CAROLO

FELICE · REGNVM · ADEPTO · TAVRINVM · REVERTIT
INVISVRA · FRATREM · SIBI · A · PVERIS · EXIMIE
DILECTVM · HIC · PIA · MVNIFICA · ORE · AFFATV
OMNIBVS · COMIS · INDVLGENTISSIMA · BENIGNITATIS
SVAE : MEMORIAM · RENOVAVIT · SED · HEV · QVAE
DOMESTICOS · LVCTVS · SAEPE · FVERAT · SOLATA
IPSA · NVNC · MORIENS · SVOS · ET · VRBEM · IN
MOERORЕМ · CONIECIT

VIXIT · ANN · LXVIIII · OBIIT · V · IDVS · OCTOBR ·
A · M · DCCC · XXIIII

PROPERANTEM · AD · SE · MORTEM
SVI · COMPOS · EXCEPIT
HOC · VNVM · METVENS · DVM · VIVERET
NE · SVORVM · ESSET · SVPERSTES

IMMORTALITER · IN · DEO · VIVE
SISQVE · NOSTRI · MEMOR
SI · TE · IN · TERRIS · COLVIMVS
SI · TVVM · NVNC · FVNVS
PIE · ET · SANCTE · PROSEQVIMVR

IV.

AD S. IOANNIS.

x kal. novembr. an. MDCCCXXIV.

Ad templi fores.

LVDOVICO · XVIII

GALLIARVM · REGI

AFFINI · SVO · ET · LEVIRO

REX · CAROLVS · FELIX

SVPREMA · PERSOLVIT

Ad templi valvas.

LVDOVICVS · XVIII

LVDOVICI · DELPHINI · F ·

LVDOVICI · XV · N ·

POST · DIVTVRNAS · CONVERSIONES · BELLO MAXIMO · ET · GRAVISSIMO · AVITA · DITIONĒ RECEPTA · REGNVM · LEGIBVS · CONSTITVIT · MOX GALLIAM · PVLSI · NAPOLEONIS · REDITV · ET BELGICA · CLADE · A · FVNDAMENTIS · ITERVM COMMOTAM · SIC · CONFIRMAVIT · VT · PAR · CONSILIO TANTIS · REBVS · HABERETVR · CIVILEM · CONCORDIAM MVLTA · IGNOSCENDO · AEQVITATE · QVAM · VI ARCTIOREM · FECIT · FIDEM · PVBLICAM · SVPERIORĖ TEMPORE · COLLAPSAM · GRANDI · PECVNIA SOLVTA · FAMA · NOMINIS · RESTITVIT · PRAECLARA INGENIA · FOVIT · MORES · INDVCTA · SANCTITATE RELIGIONIS · EMENDAVIT · POSTREMO · CVM · POPVLOS NAVIGATIONE · COMMERCIIS · ET · INTERNIS · OPIBVS AVXISSET · FACTIONIBVS · IN · HISPANIA · EXORTIS FERDINANDI · REGIS · GENTILIS · SVI · MAIESTATEM VIOLARI · PASSVS · NON · EST · ET · LEGATO CVM · EXERCITV · FRATRIS · F · VNA · VICTORIA

SEDITIONEM · COMPESCVIT · EVROPAE · SECVRITATEM
ADSERVIT · REX · IN · OMNI · RE · MAGNIFICVS
CONSTANTIA · ET · AEQVABILITATE · ANIMI · NVLLI
ANTIQVORVM · SECVNDVS · VIXIT · ANN · LXVIIII
OBIIT · XVI · KAL · OCTOBR · A · M · DCCC · XXIIII

Ad feretrum.

POTENS · SVI
MOBILEM · REGNORVM · FORTVNAM
AEQVO · ANIMO · ADSPEXIT
CONDITIONES · A · SVPERBO · VICTORE · OBLATAS
FORTITER · ASPERNATVS
DIGNITATEM · IN · EXSILIO · RETINVIT
REX · MODERATIONE · INCLARVIT

EHEV · TIBI · O · REX
QVEM · VICTORI · GENERVM · ET · HOSPITEM
EXCEPIMVS
NOVO · NVNC · DOLORE · PERCVLSI
SVPREMA · PERSOLVIMVS
DEVM · ARBITRVM · IMPERIORVM
VENERATI

V.

AD S. PHILIPPI.

VI kal. novembr.

Exterius.

LVDOVICO · XVIII
GALLIARVM · REGI · CHRISTIANISSIMO
GALLIARVM · ORATOR
PARENTI · PVBLICO
FVNEBRIA

Interius.

SVSCEPTO · REGNO
IVSTI · PRINCIPATVS · AVCTOR
ESSE · VOLVIT
TRANQVILLA · MODERATIONE · IMPERI
CONVERSIS · AD · PACEM · ANIMIS
GENTEM · SVAE · VIRTVTIS · ET · GLORIAE · MEMOREM
IN · PRISTINA · FIDE · RETINVIT
AEQVALES · POSTEROS
BORBONIO · NOMINI · ITERVM · DEVINXIT

VI.

AD S. DALMATII.

Kal. mart. an. MDCCCXXVIII.

Ad templi fores.

OCTAVIO · ALEXANDRO · FALLETTI

MARCHIONI · BAROLI

VXOR · ET · FILIVS

VIRO · ET · PARENTI · OPTIMO · DESIDERATISSIMO

PARENTALIA · CVM · LACRIMIS

Ad templi valvas.

OCTAVIVS · ALEXANDER

CAROLI · HIERONYMI · F · FALLETTI

NOBILITATEM · A · MAIORIBVS · ACCEPTAM · LITTERARVM
DECORIBVS · AVXIT · OTIVM · IN · SVMMIS · OPIBVS
NACTVS · ABDITA · ET · PENITVS · RETRVSA · INTERIORIS
PHILOSOPHIAE · PRINCIPIA · DIVTVRNA · MEDITATIONE
QVAESIVIT · MOX · EDITIS · COMMENTARIIS · QVOD
INGENIO · VALERET · PLVRIMVM · SVBTILITER
DOCTVS · ET · IN · SCRIBENDO · ELEGANS · VISVS
EST · DIFFICILLIMIS · TEMPORIBVS · SVAM · OPERAM
VEL · CVM · PERICVLO · CIVIBVS · PRAESTITIT · PACATIS
REBVS · NON · MINVS · RECVSATIS · QVAM · OBITIS
HONORIBVS · ENITVIT · MODICVS · VOLVPTATVM · ET
NVLLA · IN · RE · NIMIVS · HONESTISSIMA · SOLATIA
VITAE · IN · SVBLEVANDIS · ALIORVM · CALAMITATIBVS
INVENIT · NEMINI . OFFENSIONE · MVLTIS · BENEFICIO
COGNITVS · LIBERALITATEM · COMITATE · GRATIOREM

EFFECIT · DOCTIS · SODALITATIBVS · ADSCRIPTVS
LAVDATVM · QVEMQVE · E · NOSTRATIBVS · COLVIT
IPSE · LAVDATISSIMVS · IDEM · PERAGRATA
EVROPA · EXTERNORVM · FAMILIARITATIBVS · FLORVIT
PRINCIPIBVS · VIRIS · EO · ACCEPTIOR · QVOD
PRVDENTIAM · RERVM · ET · HOMINVM · CVM · SCITA
ELOQVI · VRBANITATE · CONIVNGERET · GRAVI · MORBO
IN · SENECTVTE · OPPRESSVS · NATVRAE · NECESSITATEM
FORTITER · TVLIT · SVPERVENIENTE · MORTE · IN
VXORIS · ET · FILI · DESIDERIO · SANCTE · QVIEVIT
DECESSIT · OMNIBVS · FLEBILIS · III · KAL · FEBR ·
A · M · DCCC · XXVIII · AETAT · SVAE · LXXV

VII.

Ad templi fores.

PHILIPPO · ASINARIO

MARCHIONI · S · MARCIANI

V · E ·

EQVITI · TORQVATO

REGNI · ADMINISTRO

ILLVSTRI · PRAEP · SACRI · CVBICVLI

MAGISTRI · ADMISSIONVM

I · P ·

Ad feretrum.

PHILIPPVS · ASINARIVS

MARCHIO · S · MARCIANI

CLARIS · MAIORIBVS · ORTVS · BREVI · EFFECIT
VT · NON · TAM · GENERIS · COMMENDATIONE · QVAM
SVA · VIRTVTE · ET · INDVSTRIA · PAR · MAGNIS
REBVS · GERENDIS · VIDERETVR · BELLO · GALLICO
SVPERIORE · IN · PRIMIS · ORDINIBVS · EXTREMA
ADOLESCENTIA · MERVIT · POST · PACEM · AD
GALLORVM · IMPERATOREM · TOTI · IAM · ITALIAE
INSTANTEM · A · REGE · LEGATVS · EIQVE · OB
VERISSIMAM · NATVRAM · ET · BREVILOQVAM
COMITATEM · ACCEPTVS · PVBLICAM · REM · IN · ANCIPITI
POSITAM · ENIXE · IVVIT · EVERSO · REGNO · OBSES
EXSVL · REDVX · INCERTOS · FORTVNAE · CASVS
SECVRVS · OBIVIT · MOX · E · SECESSV · IN · GALLIAM
VLTRO · ACCITVS · RECVSATIS · DIV · HONORIBVS
ET · BORVSSICA · DEMVM · LEGATIONE · CITRA

INVIDIAM · ET · OBTRECTATIONEM · FVNCTVS · EST
PACATA · EVROPA · ORDINANDAE · SVBALPINAE
REGIONI · A · FOEDERATIS · REGIBVS · PRAEPOSITVS
EISDEM · POSTEA · IN · VINDOBONENSI · CONVENTV
AVCTOR · FVIT · NOSTRORVM · PRINCIPVM · DITIONIS
PROFERENDAE · REGNI · ADMINISTER · CREATVS
EXTERNAS · RATIONES · SOLERTER · BELLICAS
STRENVE · CVRAVIT · VIR · CIVILI · PRVDENTIA · ET
RERVM · VSV · CVM · SVMMIS · COMPARANDVS · OB
ID · PRAECIPVE · MEMORABILIS · QVOD · CONSCIENTIAM
IN · OMNI · VITA · SECVTVS · DOMESTICAS
NECESSITVDINES · OFFICIO · POSTHABVIT
PIE · DECESSIT · ID · IVL · AN · M · DCCC · XXVIII
VIXIT · AN · LXI

HONORIBVS · SAPIENTER · VSVS
OPES · ET · INANIA · FAMAE · CONTEMPSIT
IN · PVBLICA · RE · GERENDA
ACER · VIGIL · SVI · SECVRVS
LAVDEM · EO · VERIOREM · INVENIT
QVO · MINVS · QVAESIVIT

NVTANTE · REGNI · FORTVNA
SINE · METV · ET · SPE
IMMERSABILEM · REBVS · ANIMVM · EXHIBVIT
CERTVS · NIL · ARDVVM · RECVSARE
QVO · SVAM · PRINCIPI
FIDEM · PROBARET

MEMOR · PIETATIS · AVORVM
ANTIQVOS · MORES · SERVAVIT · SANCTISSIME
INGRAVESCENTE · MORBO
NON · MOERENS · NON · ANXIVS
MORTALEM · VITAM
IMMORTALI · PLACIDE · COMMVTAVIT

VIII.

AD SEPVLCRETVM VRBIS.

H · S · E ·

FRANCISCVS · ANDREAS · BONELLI

DOMO · CVNEO

IN · R · ATHENAEO · PROFESSOR

R · SCIENT · ACAD · SODALIS

QVI · SVOPTE · INGENIO · AD · STVDIA · RERVM
NATVRALIVM · CONVERSVS · ANIMANTIVM · HISTORIAM
PRAESERTIM · EXCOLVIT · QVADRVPEDVM · REPTANTIVM
PISCIVM · AVIVM · COMPLVRA · GENERA · DESCRIPSIT
QVORVNDAM · ETIAM · TENVIORVM · STRVCTVRAM
VETERIBVS · IGNORATAM · PRIMVS · OMNIVM · VIDIT
ITEM · IN · ACADEMIAE · CHALCIDICO · MVSEVM · SIC
DIGESSIT · VT · IN · NATVRAE · OPIFICIO · NONDVM
ANIMADVERSAS · PARTIVM · INTER · SE · RATIONES
OSTENDERET · VIR · SINGVLARIS · PLANE · ACVMINIS

ET · INDVSTRIAE · QVI · IN · PVSILLO · CORPORE
EMINENTI · ANIMO · VOLVPTATEM · IN · LABORE
VITAM · IN · VIGILIA · PONERET · EO · LAVDABILIOR
QVOD · PARTA · NOMINIS · FAMA · IN · ANGVSTA · RE
DOMESTICIS · HONORIBVS · CONTENTVS · NVLLIS
VNQVAM · CONDITIONIBVS · SE · A · SVIS · CIVIBVS
DIVELLI · PASSVS · EST · IN · CONIVGIS · ET · LIBERORVM
COMPLEXV · SANCTE · DECESSIT · $\overline{\text{XV}}$ · KAL · IAN ·
AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{XXX}}$ · AETAT · SVAE · $\overline{\text{XLV}}$

IX.

AD S. PHILIPPI.

XVI kal. sept. an. MDCCCXXX.

IOANNES · IVLIVS · HIERONIMI · F · SINEO
A · TVRRI · PALLERA

SACERDOTIVM · PER · QVINQVAGINTA · ET · AMPLIVS ANNOS · CASTE · ET · NAVITER · OBIVIT · IN · RELIGIONIS STVDIO · VERITATEM · SECVTVS · OPINIONVM VANITATEM · SAPIENTER · CONTEMPSIT · NEC · VNQVAM TEMPORIBVS · ASSENTANDO · HVMANA · DIVINIS ADMISCVIT · IN · IVVENVM · MORIBVS · INFORMANDIS SEVERITATEM · REMOVIT · NATVRAE · LENITATEM ADHIBVIT · ID · MAXIME · VERITVS · NE · SIMVLATA PER · METVM · VIRTVS · VERAM · PESSVMDARET · IDEM RERVM · EXPLICATOR · SVBTILIS · ET · VMBRATILI FACVNDIA · DISERTVS · SI · AD · POPVLVM · DICERET

OB · STILI · SANCTITATEM · IN · VERNACVLO · SERMONE
ELOQVENTISSIMVS · VISVS · EST · OBTRECTATORIBVS
NON · DICTA · SED · ANIMI · AEQVABILITATEM · OPPOSVIT
EOSQVE · FERRE · MODERATE · OFFICI · PARTEM
PVTAVIT · CVM · VITAM · ERVDIENDIS · PAVPERIBVS
ET · BENEFACIENDO · IMPENDISSET · SENEX · A · REGE
CAROLO · FELICE · IN · EQVESTREM · ORDINEM
VLTRO · ADLECTVS · EST · IN · MORTE · ID · HABVIT
PRAECLARISSIMVM · VT · EIVS . FINIS · QVASI · INSIGNIS
CALAMITAS · PVBLICE · A · BONIS · DEFLERETVR
VIXIT · ANN · LXXIII · DECESSIT · XII · KAL · AVG ·
AN · M · DCCC · XXX

X.

AD S. IOANNIS.

Ad templi fores.

FRANCISCO · I
BORBONIO
VTRIVSQVE · SICILIAE · REGI
REX · CAROLVS · FELIX
HOSPITI · SVO · ET · LEVIRO
EXSEQVIAS · PVBLICE

Interius.

FRANCISCVS · FERDINANDI · F ·

SVSCEPTO · REGNO · IN · DVBIAM · SPEM · ERECTOS
POPVLORVM · ANIMOS · AVCTORITATE · NOMINIS
CONFIRMAVIT · PERPETVIS . VIIS · IN · CONTINENTI
REGIONE · ET · IN · SICILIA · PER · MEDITERRANEA
LOCA · ET · ARDVA · MONTIVM · IMPERATIS · AGRORVM
CVLTVM · EXCITAVIT · COMMEATVVM · SECVRITATI
CONSVLVIT · IN · MARSORVM · FINIBVS · REPRESSA
INGENTI · OPERE · EXVNDANTIVM · AQVARVM · VI
FVCINI · LACVS · EMISSARIVM · POST · TIB · CLAVDIVM
ET · NERVAM · ITERVM · DEDVCERE · ADGRESSVS · EST
IDEM · BONARVM · ARTIVM · RECTVS · AESTIMATOR
PRAECLARA · INGENIA · AD · VETEREM · ELEGANTIAM
SCIENTER · ALVIT · CAMPANAS · RELIQVIAS · STVDIOSE
CONQVISIVIT · VRBEM · A · SE · AVCTAM · DESCRIPTIONE
AEDIFICIORVM · AMPLIOREM · FECIT · MARIAM
CHRISTINAM · F · FERDINANDO · REGI · DESPONSAM
MVLTIS · NEQVIDQVAM · ITINERIS · ASPERITATEM
OSTENDENTIBVS · IN · HISPANIAM · DVXIT · INDEQVE
PER · GALLOS · ET · SVBALPINOS · REVERSVS · GRAVI
MORBO · TENTATVS · ET · EXSTINCTVS · EST · PIE
DECESSIT · $\overline{\text{VI}}$ · ID · NOVEMBR · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{XXX}}$
AETAT · $\overline{\text{LIII}}$ · REGNI · $\overline{\text{V}}$

Ad templi arcus.

MVNIFICENTIA · EIVS
VETERIS · CAPVAE · MONVMENTA
NVNC · PRIMVM · POST · ITALIAE · VASTITATEM
IN · LVCEM · PROLATA · SVNT
ITEM · PERANTIQVAE · POMPEIORVM · PICTVRAE
ABSTERSO · SITV · VETVSTATIS
COELO · RESTITVTAE

VITAE · FINEM
PRAESENTIENS
POPVLORVM · SOLLICITVS
REGNI · NECESSITVDINES · FILIO · COMMENDAT
IPSE · CASTIGATOR · LACRIMARVM
LINQVENDAE · IAM · CONIVGIS · MOER0REM
VERBIS · CONSOLATVR

Ad feretrum.

RECTI · TENAX
FOEDERVM · SANCTITATEM
INCVLPATA · FIDE
SERVAVIT

XI.

ALTAE COMBAE

IN ALLOBROGIBVS.

In templi fronte.

REX · CAROLVS · FELIX

LOCO · AERE · SVO · REDEMPTO

MONVMENTA · MAIORVM

OB · VETVSTATEM · DIV · NEGLECTA

LVSTRATIONIBVS · EXPIANDA · CVRAVIT

TEMPLVM · QVOD · BELLVM · ET · LICENTIA · TEMPORVM

PROFANVM · FECERANT

AMPLIATO · SOLO · ITERVM · DEDICAVIT

COENOBIVM · RESTITVIT

ANNO · M · DCCC · XXVI

Ad templi aram.

ANNIVERSARIVM · SACRIFICIVM

PACI · SVPERVM · ADPRECANDAE

MARIAE · ANNAE

MAVRITI · CHABALLICENSIVM · DVCIS · VXORI

AD · ARAM · HVIVS · TEMPLI · MAXIMAM

INSTITVIT

REX · CAROLVS · FELIX

MEMOR · SORORIS · DVLCISSIMAE

QVA · COMITE

ITINERE · IN · ALLOBROGES · SVSCEPTO

HIC · DEVM · FVERAT · VENERATVS

AN · M̄ · D̄C̄C̄C̄ · X̄X̄ĪV̄

XII.

AD S. LAVRENTII.

XIII kal. iun. an. MDCCCXXXI.

Ad templi fores.

CAROLO · FELICI
SARDINIAE · REGI
MARIA · CHRISTINA · BORBONIA
MARITO · OPTIMO
AMANTISSIMO
INFERIAS · CVM · LACRIMIS

Ad feretrum.

PLACIDE · QVIESCAS · O · REX
EN · TIBI · CHRISTINA · CONIVX
LVCIDAS · PIORVM · SEDES
CVM · LACRIMIS · PRECOR
RECORDATIONE · VIRTVTVM · TVARVM
QVANDO · ID · VNVM · RESTAT
VIDVITATEM · SOLATVRA

XIII.

AD S. CRVCIS.

III kal. iun. an. MDCCCXXXI.

Ad templi fores.

CAROLO · FELICI

SARDINIAE · REGI

EQVITES · MAVRITIANI

PARENTI · PVBLICO

CONSERVATORI · ORDINIS · SVI

I · P ·

Ad templi valvas.

CAROLVS · FELIX
VICTORI · III · ET FERDINANDAE · BORBONIAE · F ·
REGNVM · QVOD · INVITVS · A · FRATRE · ACCEPERAT
IVSTE · ADMINISTRAVIT · DOMI · EVVLSIS · SEDITIONVM
RELIQVIIS · PVBLICVM · OTIVM · FECIT · FORIS · REGES
SOCIOS · ET · AMICOS · EGREGIA · FIDE · SIBI · DEVINXIT
ALPINOS · ET · MARITIMOS · POPVLOS · PLVS · SEMEL
INVISIT · LEGES · TEMPORIBVS · APTAS · SARDIS
DEDIT · IDEMQVE · DEDVCTIS · AD · MARE · ITINERIBVS
ET · PROPAGATO · STIRPIVM · CVLTV · EORVM
AGRICVLTVRAE · CONSVLVIT · IN · ALLOBROGIBVS
DEVIOS · ARVAE · ET · ISARAE · CVRSVS · DESCRIPTO
ALVEO · COERCVIT · BOSPHORI · FAVCES · GENVENSIBVS
AD · EAM · DIEM · CLAVSAS · MISSIS · BISANTIVM
LEGATIS · NOSTRORVM · NAVIBVS · APERVIT
TRIPOLITANOS · PRAEDONES · OMNIA · CIRCVM
LOCA . EFFVSE · VASTANTES · IMPERATA · IN
AFRICAM · EXPEDITIONE · NAVALI · PVGNA · FREGIT
TOTAMQVE · SARDINIAE · ORAM · A · BARBARICI
INCVRSVS · TERRORE · LIBERAVIT · RECRVDESCENTE
CONTRA · SPEM · MORBO · OPPRESSVS · REBVS · PLACIDE
COMPOSITIS · PIE · DECESSIT · V · KAL · MAI ·
AN · M · DCCC · XXXI · AETATIS · SVAE · LXVI
REGNI . X

Ad templi arcus.

OCCIDISTI · O · REX
NEC · TE · FLVXARVM · RERVM
CVRA · REMORDET
IMMORTALIVM
CVM · SVPERIS · PARTICIPEM

AD · SOLEMNIA · PIETATIS
IN · ALLOBROGES · PROFECTVS
FORTIA · MAIORVM · CORPORA
MONVMENTIS · RESTITVIT
IVXTA · POST · MORTEM · QVIETVRVS

PVBLICO · PERICVLO
PER · INCERTA · RERVM · INTENTVS
SVPPLEMENTIS · AD · SIGNA · VOCATIS
PACEM · POPVLORVM
ARMIS · ADSERVIT

NON · TE · MVLIEBRI · FLETV
PROSEQVEMVR · O · REX
SED · OBFIRMATO · IN · DOLOREM · ANIMO
DOCVMENTA · CONSTANTIAE · TVAE
LIBERIS · TRADEMVS

XIV.

AD S. IOANNIS.

Prid. kal. iun. an. MDCCCXXXI.

Ad templi fores.

CAROLO · FELICI
SARDINIAE · REGI
REX · CAROLVS · ALBERTVS
GENTILI · SVO
SVPREMA · PERSOLVIT

Ad templi valvas.

CAROLVS · FELIX

VICTORI · III · ET · FERDINANDAE · BORBONIAE · F ·

VLTIMVS · STIRPIS · SVAE · OCTO · ET · TRIGINTA
PRINCIPVM · SERIEM · POST · OCTINGENTOS · ANNOS
CLAVSIT · REGNO · COMMOTIS · REBVS · VOLVNTATE
FRATRIS · SVSCEPTO · PRINCIPATVS · MAIESTATEM
INVIOLATAM · SERVAVIT · IVSTITIAM · IN · MAXIMIS
VIRTVTIBVS · POSVIT · OMNES · DITIONIS · SVAE
POPVLOS · PROVIDENTIA · COMPLEXVS · TERRESTRIBVS
ET · MARITIMIS · COMMERCIIS · CONSVLVIT · CLASSEM
IN · LIGVRIBVS · CONSTRATIS · NAVIBVS · ET
CLASSIARIO · MILITE · AVXIT · VRBEM · PROLATO
POMOERIO · AEDIFICIIS · INSTRVXIT · IDEM · PRAECLARA
SECVLI · INVENTA · IN · SVBALPINIS · PROPAGAVIT
ET · INSTITVTO · ANNIVERSARIO · INGENIORVM
CERTAMINE · EGREGIVS · FAVTOR · BONARVM · ARTIVM
HABITVS · EST · PRIVATIM · COMIS · PVBLICE

MAGNIFICVS · IPSE · REGVM · HOSPES · HOSPITES
REGES · DOMI · LIBERALITER · EXCEPIT · VIVVS · IN
CONSVETVDINE · MARIAE · CHRISTINAE · BORBONIAE
VXORIS · CVRARVM · LENIMENTVM · VALETVDINIS
SOLAMEN · INVENIT · MORIENS · SVIS · MEMORABILIS
CONSTANTIAE · EXEMPLVM · OMNIBVS · DESIDERIVM
RELIQVIT · SANCTISSIMIS · RELIGIONIBVS · RITE
PERFVNCTVS · OBIIT · $\overline{\text{V}}$ · KAL · MAI · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{XXXI}}$
VIXIT · ANN · $\overline{\text{LXVI}}$ · REGNAVIT · $\overline{\text{X}}$

XV.

Ad templi fores.

CAROLO · FELICI
SARDINIAE · REGI
ALA · R · SVBALP ·
EQVITVM · GRAVIS · ARMATVRAE
ADSERTORI · FELICITATIS · PVBLICAE
I · P ·

In templo ad feretrum.

QVI · TVIS · AVSPICIIS
ANIMAM · IN · PROELIO
PROFVDISSEMVS · O · REX
VERENDOS · NVNC · CINERES · TESTAMVR
TVI · MEMORIAM
AETERNVM · SERVATVROS

NON · VLTIMA · LVX
NON · POSTREMA · TVORVM · COMPLORATIO
TE · MORIENTEM · CONCVSSIT
SED · FORTITER · HINC · ABIISTI · O · REX
IVSTITIA · ET · FIDE
IMMORTALITATEM · PROMERITVS

XVI.

AD S. CAROLI.

Postrid. Non. decembr. an. MDCCCXXXI.

Ad templi fores.

CAROLO · CAPELLO

IN · R · ATHENAEO

REI · HERBARIAE · PROFESSORI

DE · SVIS · CIVIBVS · OPTIME · MERITO

AMICI · EIVS

SVPREMA · PERSOLVVNT

Ad templi valvas.

CAROLVS · FRANCISCI · F · CAPELLVS
DOMO · SCARNAFISIO

VALIDVS · CORPORE · PROMPTVS · INGENIO
ABDITAS · MATHESEOS · RATIONES · IN · NATVRAE
STVDIO · PRIMVM · ADHIBVIT · MOX · EXPERIMENTIS
VSVS · MVLTIPLICEM · INDVSTRIAM · DOCTIS
PROBAVIT · IVVENIS · IN · VLTIMOS · SEPTEMTRIONES
DEINDE · IN · GALLIAM · ET · BRITANNIAM · PROFECTVS
PLVRIMARVM · ARTIVM · NOTITIAM · QVAESIVIT
POPVLARIVM · VOLVNTATE · AB · VMBRATILI
MEDITATIONE · AD · PVBLICAS · RES · DELATVS
PVDORE · ET · ABSTINENTIA · NON · OPTIMIS
TEMPORIBVS · ENITVIT · TAVRINVM · ACCITVS
ANIMANTIVM · STRVCTVRAM · ET · STIRPIVM
HISTORIAM · DOCVIT · IN · FACIENDA · MEDICINA
NVLLI · SECTAE · ADDICTVS · AEGROTANTIVM
SALVTEM · PRIMAM · HABVIT · BREVILOQVVS · COMIS
NEC · VNQVAM · SE · OSTENTANS · REDIVIVAM

COI · SENIS · SIMPLICITATEM · EXHIBVIT · INDICA
LVE · EVROPAE · FINES · VASTANTE · IPSE
SEXAGENARIO · MAIOR · FVNERIBVS · EXHAVSTAS
PANNONIAE · VRBES · AD · EXPLORANDAM · MORBI
VIM · ADIRE · NON · DVBITAVIT · INDE · PER
FORVM · IVLIVM · REDIENS · VIX · CONSPECTA
ITALIA · FESSVS · VIAE · ET · LABORVM · PROCVL
A · FILIO · IN · VNIVS · AMICI · COMPLEXV · PIE
DECESSIT · XVI · KAL · NOVEMBR · AN · M · DCCC · XXXI
VIXIT · ANN · LXVI

Ad templi arcus.

IN · ALIENA · TERRA
A · PAVCIS · DEFLETVS
MODICVM · SEPVLCRVM · INVENIT
VETVSTATE · SANCTIVS · FVTVRVM

DIVINAM · ARTEM
QVAM · BENEFACIENDI · STVDIO · EXCOLVIT
TOTIVS · VITAE · DIGNITATE
HONESTAVIT

XVII.

AD SEPVLCRETVM · VRBIS.

H · S · E ·

IOSEPHVS · BAGETTI

IN · R · ACAD · MILIT · PROF ·

EQ · MAVRIT · ET · ORD · SAB ·

R · BONARVM · ARTIVM · ACAD · SODALIS

QVO · NEMO · MELIVS · REGIONVM · VARIETATES
AEREM · NIMBOS · ET · FLVMINVM · VAPORES
AQVATIS · COLORIBVS · DEPINXIT · IDEM · ARTIFICII
PRAESTANTIA · ET · CELERITATE · MANVS · EXCELLVIT
NEC · MINVS · SCIENTER · PVLVERVLENTAS
SOLITVDINES · ARDORIBVS · EXVSTAS · QVAM
EGELIDOS · LACVS · ET · SILVOSOS · MONTIVM
RECESSVS · CVM · SALIENTIVM · ERRORIBVS
EXPRESSIT · LVTETIAM · PARIS · INEVNTE · SECVLO
ACCITVS · ILLVSTRIORES · AEVI · SVI · PVGNAS
CAPTO · LOCORVM · PROSPECTV · EXHIBVIT · TANTA

EVIDENTIA · VT · SPATIIS · LENI · PENICILLO
DISTINCTIS · FVMIDOS · TORMENTORVM · IGNES
CASTRORVM · METATIONES · VARIOSQVE · PROELIANTIVM
DISCVRSVS · OCVLIS · SVBIICERET · IAM · SENEX
PROPAGATA · NOMINIS · FAMA · DE · ARTE · SCRIPSIT
PATRIAM · ET · SVOS · POSTHABITIS · EXTERNORVM
INVITAMENTIS · VNICE · ADAMAVIT · MVSICAE · QVAM
OPTIME · CALLVIT · IN · PRIMIS · INDVLSIT
SIMPLICITATIS · STVDIOSVS · INEPTIAS · DELICATIORIS
VITAE · CONTEMPSIT · ET · ARGVTAM · AMICORVM
HILARITATEM · SVMPTVOSIS · VOLVPTATIBVS
ANTEPOSVIT · REPENTINO · FATO · EREPTVS
OMNIBVS · LACRIMABILIS · DECESSIT III · KAL · MAI ·
AN · M · DCCC · XXXI · AETAT · SVAE · LXVI
CHRISTINA · GALEANIS · CONIVX · DOLORI · RELICTA
MOERENS · POSVI

XVIII.

SOPERGAE

AD R. BASILICAM.

Kal. novemb. an. MDCCCXXXI.

Ad templi fores.

TEMPLVM

QVOD · BELLO · MAXIMO · OBSESSA · VRBE

PATER · VOVERAT

PACE · VICTORIIS · PARTA

INTER · PRINCIPATVS · INITIA

DEDICAVIT

CAROLVS · EMMANVEL · III

KAL · NOVEMBR · AN · M · DCC · XXXI

SECVLO · POST · IPSO · DEDIC · DIE

INVISIT

REX · CAROLVS · ALBERTVS

GRATVLANTIB · CIVIB · ADCLAMANTE · EXERCITV

REGNVM · NVPER · AVSPICATVS

XIX.

SOPERGAE

IN INFIMA ORA

CALICIS INAVRATI

GEMMIS ET EMBLEMATIS DISTINCTI.

VIRGINI · MATRI

VOTVM · A · CAROLO · FELICE · REGE · SVSCEPTVM

REX · CAROLVS · ALBERTVS

SOLVIT · KAL · NOVEMBR · AN · M̄ · D̄C̄C̄C̄ · X̄X̄X̄Ī

BASIL · SOPER · SECVL · Ī

XX.

IN AEDIBVS

SEMIN. ARCHIEP. TAVRIN.

XV kal. decembr. an. MDCCCXXXI.

Ad templi fores.

GASPARO · COLVMBANO

CHIAVAROTTIO

TAVRIN · ARCHIEPISCOPO

SEMINARI · PRAEFECTI · ET · ALVMNI

PARENTI · OPTIMO

I · P ·

Ad sacelli valvas.

GASPAR · COLVMBANVS · FRANCISCI · F ·
CHIAVAROTTIVS

FLORENTE · AETATE · SOLIVAGAM · ROMVALDI
SAPIENTIAM · IN · RECESSV · MONTIVM · SECVTVS
CORPVS · VIGILIIS : ANIMVM · DIVINIS · COGITATIONIBVS
EXERCVIT · INDE · AD · EPORED · MOX · AD · TAVRIN ·
PONTIFICATVM · OB · VIRTVTIS · FAMAM · ACCITVS
VNVS · OMNIVM · SCIENTIAM · RERVM · ET · HOMINVM
CVM · SVMMA · VITAE · SANCTITATE · CONIVNGERE
VISVS · EST · IN · MODERANDA · POPVLOR · RELIGIONE
CONSTANTIA · ET · LENITATE · VSVS · CONTEMPTIS
DOCTRINARVM · SVBTILITATIBVS · STVDIA · PARTIVM
REPRESSIT · VIR · TANTAE · AVCTORITATIS · VT
RELVCTANTES · VVLTV · COMPESCERET · IDEM
IN · IPSO · HONORVM · FASTIGIO · SOLITVDINEM
RESPECTANS · PLVS · SEMEL · DESERTAM · VERITATIS
CAVSAM · LIBERO · ORE · DEFENDIT · IN · FAMILIARI

CONSVETVDINE · DOCTE · DISERTVS · GRAVISSIMI
ELOQVI · IN · DICENDO · FVIT · VERBORVM
DIGNITATE · SVGGERENTE · NATVRA · MORBO
QVADRIENNIVM · DISTENTVS · NVNQVAM · CESSAVIT
AVT · CONQVESTVS · EST · DEO · DEFIXVS · IN
ALTISSIMA · TRANQVILLITATE · PARI · VENERATIONE
DECESSIT · POSTRID · NON · SEXTIL · AN ·
M · DCCC · XXXI · VIXIT · ANN · LXXVII

XXI.

FOSSANI

AD TEMPLVM MAXIMVM

Postr. idus ianuar. an. MDCCCXXXII.

Ad templi fores.

BAPTINAE · CARREGAE

DOMINICI · FRANSONI · MARCH · VXORI

ALOISIVS · FRANSONIVS

PONT · FOSSAN ·

MATRI · OPTIMAE · DESIDERATISSIMAE

PARENTALIA · CVM · LACRIMIS

Ad templi valvas.

BAPTINA · CARREGA

DOMIN · FRANSONI · MARCH · VXOR

MATRONALI · VERECVNDIA · FRANSONIIS · DECORI
FECVNDITATE · GRATVLATIONI · FVIT · LIBEROS · QVOS
SINV · INDVLGENTIAQVE · FOVERAT · AD · BONAS
ARTES · ET · PIETATEM · INSTITVIT · AMISSO · VIRO
MELIORA · QVAM · SPLENDIDIORA · SECVTA · IN
PRIVATIS · VIRTVTIBVS · SOLAMINA · VITAE · QVAESIVIT
SVORVM · AMANTISS · FRVGI · DOMISEDA · MODICO
IN · SE · SVMPTV · MVLTIS · FECIT · BENIGNE · HABITV
CVLTV · SERMONE · IN · PROVECTA · NEC · INERTI
SENECTVTE · EXEMPLAR · PRISCI · MORIS · EXHIBVIT
TEMPORVM · AETERNITATEM · SAEPE · MEDITATA
ACCEDENTEM · VITAE · FINEM · PLACIDE · ADSPEXIT
VOTI · COMPOS · SI · EXVTA · MORTALITATE
ALIQVANDO · ESSET · CVM · DEO · ADSIDENTE
VALETVDINI · IAC · PHILIPPO · F · QVEM · INTER
PVRPVRATOS · PP · ADLECTVM · VIDERAT · ROMAE
DECESSIT · III · ID · DECEMBR · AN · M · DCCC · XXXI

AET · SVAE · LXXVII

HAVE · ANIMA · PIISSIMA

ATQVE · AETERNVM · VALE

XXII.

AD S. IOANNIS.

x kal. iun. an. MDCCCXXXII.

Ad templi fores.

MARIAE · THERESIAE · AVSTR ·
VICTORI · EMMANVELIS · REGIS
VXORI
REX · CAROLVS · ALBERTVS
I · P ·

Ad templi valvas.

MARIA · THERESIA

FERDINANDI · AVSTR ·

ET · BEATRICIS · ATEST · F ·

FLORENTE · IVVENTA · VICTORIO · EMMANVELI · NVPTA
VRBEM · ADVENTV · EXHILARAVIT · VERSIS · SVBALPIN ·
REBVS · CALARIM · PROFECTA · ABDICANTE
CAROLO · IV · VIRO · REGNVM · ADEPTO · LEVAMENTO
IN · LABORIBVS · FVIT · MOX · DELATA · SIBI · SARDINIAE
PROCVRATIONE · HAVD · IMPAR · TANTO · MVNERI
VISA · EST · VIRILI · SOBOLE · AMISSA
DOMESTICOS · LVCTVS · VTI · CETEROS · FORTVNAE
ICTVS · SVPRA · SEXVS · VIRES · CONSTANTER
TVLIT · CVRIS · IN · FILIAS · CONVERSIS · QVAS
EGREGIO · CVLTV · INSTITVIT · TAVRINVM · REDIENS
EDITA · NAVMACHIA · ET · ACCENSIS · PER · MONTES
FACIBVS · EXCEPTA · EST · IN · VIDVITATE
SECESSVM · QVAESIVIT · RELIGIONE · MOEROR>EM
SOLATA · REPENTINO · MORBO · CORREPTA · IN
AMPLEXV · CHRISTINAE · SVAE · GENVAE · QVIEVIT

IIII · KAL · APR · AN · M · DCCC · XXXII

AETAT · LVIIII

Ad templi arcus.

VLTIMVS

VIRTVTIS · HONOS

SVPERSTITVM

LACRIMAE

ILLVC · REGRESSA

VNDE · VITAM · HAVSIMVS

AETERNVM · SIS · FELIX

O · MATER

PROSPERA · ADVERSA

PERINDE · EXCEPIT

MORTALEM · MORTALIA · FERRE

AEQVVM · ARBITRATA

Ad templi arcus.

EXANIMEM · FILIVM
REPRESSO · FLETV · OSCVLATVR
QVASI · PIGNVS
COELO · REDDITVRA

MVLTIS · BENEFACIENDO
MAXIMVM
IN · VTRAQVE · FORTVNA
SOLATIVM · INVENIT

SALVETE
MATERNI · CINERES
HEV · MIHI · INSOLABILITER
DEFLENDI

XXIII.

RIPARIAE IN SALASSIS.

REGI · CAROLO · ALBERTO
QVOD
RIPARIAE · CASTELLO
VESTIGIIS · ET · MEMORIA · ARDVINI · REGIS
IN · SALASSIS · ILLVSTRI
ROGATV · CAESARIS · SALVTI · EQ · V · E ·
REGII · GIMNASI · MILIT · ALVMNIS
RENOVANDIS · ANIMIS
PER · AVTVMNALES · FERIAS · CONCESSO
AEDES · ET LOCVM
A · SQVALORE · ET · SOLITVDINE
VINDICAVERIT
LAETITIAM · INCOLIS · ET · FINITIMIS
ATTVLERIT
POPVLVS · ET · CVRATORES · RIPARIAE
TITVLVM · PVBLICAE · HILARITATIS · TESTEM
P · C ·
IDIB · SEPTEMBR · AN · M · DCCC · XXXII

XXIV.

CABVRRI

IN TEMPLO CVRIAE.

Postrid. id. ianuar. an. MDCCCXXXIV.

Ad templi fores.

IOSEPHO · POLLIANO

FORANEO · PRAEP · VIC · POT ·

SACERDOTES · ET · ALVMNI · SACRORVM

SACERDOTI · SANCTISSIMI · EXEMPLI

I · P ·

Ad templi valvas.

IOSEPHVS · POLLIANVS

DOMO · CERCENASCO

SAPIENTIAM · IN · AEQVABILITATE · VITAE · ET
DESPICIENTIA · RERVM · HVMANARVM · RELIGIONEM
IN · CARITATE · COMMVNIS · NATVRAE · PRAESERTIM
POSVIT · CVRIAE · PROCVRATIONE · SVSCEPTA · NON
TAM · FORTVNATORVM · DOMOS · QVAM · IGNORATA
PAVPERVM · COENACVLA · QVAESIVIT · VBI · IN
ORBITATIBVS · SOLATIVM · IN · EGESTATE · ET
SOLITVDINE · INSPERATAM · OPEM · AFFERRET
VERBIS · EFFICAX · EXEMPLO · EFFICACIOR · SEGNES
AD · VIRTVTEM · EXCITAVIT · DEERRANTES · IN
VIAM · REDVXIT · IN · CONCIONIBVS · POPVLARIS
QVAM · DOCTVS · VIDERI · MALVIT · SVI
LARGITOR · AEDES · CVRIAE · A · SE · EMPTAS · SVO
SVMPTV · RESTITVIT · TEMPLVM · SVPELLECTILE
AVXIT · CONSTITVTO · ALIMENTARIO · VECTIGALI

LOCVM · PVELLIS · INSTITVENDIS · DESIGNAVIT
LETHALI · MORBO · EXSTINCTVS · ALIIS · SANCTISSIMOS
MORES · ALIIS · INVICTAM · LENITATEM · ET · CONSILIVM
DESIDERANTIBVS · TANTO · MOERORE · DEFLETVS
EST · VT · OMNES · IN · LACRIMAS · EFFVSI · ADAPERTO
TVMVLO · BIDVVM · IAM · EXANIMEM · POSTREMO
CONTVERI · VOLVERINT · QVEM · VIVVM · VTI
PARENTEM · COLVERANT

CVRIAE · PRAEFVIT · ANN · XXXIV · VIXIT · ANN · LXVI
DECESS · VII · KAL · NOVEMBR · AN · M · DCCC · XXXIII

XXV.

VILLAE NOVAE SOLARIAE.

IN SEPVLCRETO GENTIS SOLARIAE.

H · S · E ·
ANTONIA · OPERTIA · SOLARIA
MATRONA
ANTIQVIS · MORIBVS · ET · PIETATE
QVAE · IN · TENVIORVM · FORTVNIS · SVBLEVANDIS
SOLATIA · VIDVITATIS · QVAESIVIT
EVPHRASIA · F ·
CAROLI · VALPERGIAE · MASINI · VXOR
QVADRIENNI · LVCTV
DVLCISSIMAM · ANIMAM · DVLCESQVE · SERMONES
HEV · FRVSTRA · REQVIRENS · TVOS
HIC · VBI
INFELICES · QVIBVS · PRAESENS · ADFVERAS
EXSTINCTAM · FLEVERVNT
SVPREMVM · TIBI · O · MATER
DOLORIS · MONVMENTVM
POSVI
AN · M · DCCC · XXXIIII

XXVI.

Taurini in R. Armamentario.

PETRVS · MICCA

DOMO · ANDORNO

BELLO · GALLICO · MILES · CVNICVLARIVS · CONFERTO
IAM · HOSTE · IN · ARCEM · IRRVENTE · CERTVS · PRO
COMMVNI · SALVTE · RELICTA · CONIVGE · ET · PARVIS
LIBERIS · IN · CASVM · IRREVOCABILEM · SE · DARE
SVBTERRANEO · FORNICI · IGNE · ADMOTO · SEQVE
ET · HOSTEM · VNA · RVINA · OPPRESSIT · IIII · KAL ·
SEPTEMBR · AN · M · DCC · VI · CVIVS · VIRTVTE · VRBS
SERVATA · AD · EVM · DIEM · INCOLVMIS · MANSIT
QVO · SVB · IPSIS · MOENIBVS · A · REGE · VICT ·
AMEDEO · II · ET · EVGENIO · SABAVD · FELICITER
DEBELLATVM · EST · REX · CAROLVS · ALBERTVS
MILITI · SINGVLARIS · EXEMPLI · SECVLO · POST
SIGNVM · EX · AERE · DECREVIT · SIMVL · FRAMEAM
HONOR · CAVSA · A · COHORTE · BALLISTARIOR ·
EIVS · POSTERIS · DATAM · INTERMORTVA · NVNC
VIRI · STIRPE · IN · ARMAMENTARIO · IVSSIT
ADSERVARI · AN · M · DCCC · XXXIIII

XXVII.

Salutiis in aedib. publicis.

An. MDCCCXXXIV.

AMALTHEVM

BODONIANVM.

I · B · BODONIVS · SALVT · VENVSTATIS · STVDIO ET · SCIENTIA · CVDENDORVM · CHARACTERVM GVTTEMBERGIAE · ARTIS · PERFICIENDAE · MAXIMVS SVI · TEMPORIS · AVCTOR · HABITVS · EST

LIBROS · MAIORIS · FORMAE · EXCVLTA · SIMPLICITATE INSIGNES · FECIT · MINORIBVS · DENTATAE · CHARTAE NITORE · ET · GEMMIS · THIRSIS · LARVIS · CLIPEOLIS PARCE · ADSPERSIS · TANTVM · LEPOREM · INDIDIT QVANTVM · ANTEA · NEMO

IDEM · ARTIFICI · VARIETATE · QVAESITA DIVERSAM · HEBRAEORVM · SCRIPTVRAM · DVPLICEM SAMARITANORVM · ESTRANGHELAM · ET · NESTORIANAM SIRORVM · EXHIBVIT · NEC · MINVS · NITIDE · IMPLEXAM AETHIOPVM · QVAM · EXPEDITISSIMAM · ARABVM NISCKIIS · PERSICIS · TVRCICIS · ELEMENTIS · EXPRESSIT PHOENICIIS · PALMIRENIS · THIBETANIS · COPTICIS BRACHMANICIS · EXEMPLARIB · GOTHICVM · VLPHILAE ADIVNXIT · NEC · NON · ET · ILLIRICVM · RVSSICVM GERMANICVM

A · FERDINANDO · BORBONIO · PARMAM · ACCITVS GRAECAS · LITTERAS · A · SWEINHEIMIO · ET PANNARTZIO · PRIMO · PERCVSSAS · MOX · A · DEMETR · DVCA · CRET · DEIN · A · CLAVDIO · GARAMONDO PARIS · RECTIVS · DESCRIPTAS · VARIATIS · DVCTIBVS AD · VETEREM · ELEGANTIAM · FELICITER · EMENDAVIT QVADRATIS · ANACREONTEM · GRANDIORIBVS · HIMNVM AD · CEREREM · ET · HOMERI · ILIADEM · MEMORABILI INDVSTRIA · EXCVDIT · VT · SVMMVS · POETA · QVI PRIMITVS · E · NERLIANA · OFFICINA · FLORENTIAE PATRIO · SERMONE · PRODIERAT · AN · M · CCCC · LXXXVIII

IIII · SECVLIS · POST · VNA · CVM · VIRGILIO
INGENII · SVI · ALVMNO · REGIO · CVLTV · IN · MANVS
ITALORVM · ITERVM · VENIRET

FAMA · NOMINIS · CLARVS . EQVESTRI · DIGNITATE
ET · GRATIA · REGVM · FLORVIT · FAMILIARITATE
ET · DOCTRINA · VSVS · EST · PAVLLI · PACIAVDII
BERN · DEROSSII · ET · THOMAE · VALPERGAE · CALVSII
QVI · IN · PRAEFATIONE · AD · ELENCHVM · FORMARVM
POST · EIVS · MORTEM · EVVLGATVM · VNIVERSAE
LIBRARIAE · ERVDITIONIS · PRINCIPIA · LECTISSIMIS
VERBIS · EXPOSVIT

REX · CAROLVS · ALBERTVS · CVM · PRID · KAL ·
SEPTEMBR · AN · M . DCCC · XXXIII · AMALTHEVM
INVISERET · QVOD · VIVVS · PATRIAE · DESTINAVERAT
NOBILITATEM · OPERVM · MIRATVS · SVVM · DE · CIVE
NOSTRO · IVDICIVM · HONORIS · CAVSA · PVBLICE
TESTATVM · VOLVIT

ORDO · SALVT · NE · TANTVM · DECVS · MORTVO
DEESSET · REI · MEMORIAM · TITVLO · PROPAGANDAM
CVRAVIT · AN · M · DCCC · XXXIIII

XXVIIII.

AQVIS STATIELLIS

IN CELLA S. CAROLI.

MEMORIAE
CAR · IOSEPHI · SAPPA · DE · MILANESIIS
DOMO · ALEXANDRIA · GENTE · PATRIC ·
MAVRIT · EQ · TORQ ·
A · PRIVATIS · LARGITIONIB · REGIS
PONT · STATIELLOR ·
QVI · DESPICIENTIA · RERVM · HVMANARVM
ET · VITAE · INTEGRITATE · ANTIQVIS · PAR
PONTIFICATVM · PER · XVII · ANN ·
SANCTE · INDVLGENTERQVE · GESSIT
VIR · TANTAE · BENIGNITATIS
VT · NVLLIVS · INFORTVNIVM · A · SE · ALIENVM · PVTARET
QVEM · EXSTINCTVM · PERINDE · OMNES · DOLVERVNT
VIXIT · ANN · LXXVII
DECESSIT · VIII · KAL · IAN · AN · M · DCCC · XXXV
ALOISIVS · FRATER
IN · CELLA · QVAM · S · CAROLO · VIVVS · DEDICAVERAT
MOERENS · POSVI

XXIX.

In fano prope Novium
XII kal. iun. an. MDCCCXXXV.

QVICVMQVE · ES · PARVMPER · SISTE
ROSSIGNOLIVS · EGO · PROTRIB · COHORT · FABB ·
VIRENTI · NVPER · IVVENTA
FLEBILI · CASV · HIC · IACEO
E · LIGVRIBVS · CVRSVRA · NOVIVM · DEVOLABAM
EST · IN · DECLIVI · PONS · DVRVM · VOCANT
IBI · EQVI · EXCVSSO · DVCTORE · DISTRACTIS · HABENIS
RHEDAM · MVRO · ALLIDVNT
EGO · ET · COMITES
IMPLEXI · CONSTRICTI · IN · AMNEM · RVIMVS
OBTRITVS · OBTRITVM · PREMIT · ANHELANS · ANHELVM
DECVMANVS · GVRGES
NEQVIDQVAM · LVCTANTES · OBRVIT
NON · MATER · NON · SOROR · ERAT
QVAE · EXANIMEM · DEFLERET
ME · PEREGRINVM · ALIENA · MANVS · CONDIDIT

AVDISTI · SI · TE · HVMANAE · SORTES · TANGVNT
DA · LACRIMAS · MISERO · ET · PIA · VERBA · IMPERTI
SIC · IN · TERRIS · TE · MANEANT · MELIORA

XXX.

IN LVCTV

FILIAE MARIAE

AD

EVPHRASIAM SOLARIAM

CAROLI VALPERGAE MASINI

VXOREM

V non. mai. an. MDCCCXXXV.

I.

O · EVPHRASIA

MATRONA · LECTISSIMA

EN · MARIA · NVPER · TVA

AD · FONTEM · ANIMARVM · REVERSA

ALIA · NVNC · IVVENTA · ALIO · AEVO · FRVITVR

NE · IMPORTVNO · LVCTV

INVIDEAS · FORTVNAE · MELIORI

NVLLA · EST · IN · TERRIS

LIQVIDA · VOLVPTAS

TRISTIOR · DIES · TRISTEM · SEQVITVR

ET · TENEBRICOSA · NOX · OMNES · INVOLVIT

SAEPE · LACRIMATVS · LAPIS

AERVMNIS · FINEM · POSVIT

MORS · IMMORTALITATEM · RECLVDIT

HVNC · LABORVM · TERMINVM

CONSTITVIT · OPTIMVS

NATVRAE · PARENS · DEVS

II.

TACITO · GRESSV · IN · SOMNIS
ADSVM · MARIA · TVA
DOLOREM · LENITVRA · O · MATER
PARCE · LACRIMIS · NE · DEFLEAS · BEATAM
QVANTVS · VOLATVS · EST · ANIMARVM
AD · RIVOS · PERVENI · VNDE · VITAM · HAVSERAM
IBI · VERA · INTVEOR · VERIS · TANGOR
VOS · FALSA · GAVDIA · CARPITIS · NOS · AETERNA
QVAE · NEMO · REDDAT · VERBIS
TV · INTEREA · NVPTIALIA · DONA
ALIIS · SERVA · ET · ALIAS · TIBI · FILIAS · QVAERE
IN · LARE · PAVPERCVLO
COELI · HOSPES · ET · ALVMNA
HOC · PRIMVM · DIDICI
BENEFACTIS · MORTALES · AD · DEVM · ENITI

III.

MEAS · NON · TVAS · FORTVNAS · QVEROR

O · FILIA

PER · TE · VOLVPE · MIHI · ERAT · VIVERE

NVNC · VACVIS · IN · AEDIBVS

INFELIX · SEDEO · NEC · VOX · RESPONDET · VOCI

TV · MEVM · SOLATIVM · ERAS · TV · MEA · LVX

LVDEBAS · LVDEBAM · INSOMNI · VIGIL

ADSTABAM · TAEDIA · FALLENS · SERMONE

GAVDEBAM · SI · CHOROS · DVCERES

IMMIXTA · PVELLIS · ET · TIRIA · STAMINA

ACV · PINGERES · ANXIA · IACENTEM

FOVI · SED · SPES · REDIBAT · ANIMO

NVNC · VNA · DIES

ET · GAVDIA · ET · SPES · ET · METVS · ABSTVLIT

DEPLORATA · OMNIBVS · ME . IPSAM · DEFLEO

TE · COELVM · TENET

AT · NVLLVS · MORTALIS · OCVLVS

SEPTA · COELI · PERVADAT

XXXI.

BODINCOMAGI

AD S. DOMINICI.

III Non. iun. an. MDCCCXXXV.

Ad templi fores.

REX · CAROLVS · ALBERTVS
PRINCIPIBVS · PALAEOLOGIS
ET · FERDIN · GONZAGAE · DVCI · VMENAE
FVNVS · INSTAVRAT

Interius.

H · S · S ·

IOANNES · IACOBVS · IOANNES · IV · GVILELMVS · VIII
BONIFACIVS · V · GVILELMVS · VIIII · BONIFACIVS · VI
IOANNES · GEORGIVS · PRINCIPES · PALAEOLOGI
MARCHION · MONTISFERRATI · ET · FERDINANDVS
GONZAGA · DVX · VMENAE

REX · CAROLVS · ALBERTVS · E · PATRIIS
MONVMENTIS · AD · S · FRANCISCI · AEDE · OB
VETVSTATEM · FATISCENTE · IN · NOVVM · TVMVLVM
INDICTIS · FVNEBRIB · PVBLICQ · SVMPTV · IVSSIT
INFERRI · NE · REGNATRICI · OLIM · STIRPI · IVSTVS
HONOS · ET · CVLTVS · POST · MORTEM · DEESSET
III · NON · IVN · AN · M · DCCC · XXXV · FRANC · ICHERIVS
MALABAILA · EPISCOPVS · CINERES · RITE · RECOGNITOS
EXCEPIT · IDEM · SACRVM · FECIT · CVM · SOLEMNI
LVSTRATIONE · ADSTANTIBVS · SACERDOTIBVS
PRIMORIBVS · TEMPLI · MAXIMI

INTERFVERVNT · ALOISIVS · SEVERINVS · CAPELLVS
EQ · BENEFIC · MAVRIT · DVCTOR · ORDD · PRAEF ·
VRBIS · ET · REGIONIS · ALBERTVS · NOTA · I · V · D :

EQ · MAVRIT · ET · ORD · SABAVD · OB · CIV · MERITA
PROCVRATOR · REGIONIS · ITEM · ALEXANDER
MONTILIVS · EQ · MAGISTER · ADMISSIONVM · REGNI
CONSIL · E · O · ET · THOMAS · CAIRE · I · C · II·VV·
DECVRION ·

VNIVERSI · CIVES · PIIS · MANIBVS · BENE · PRECATI
SVNT · ALIIS · ALIOS · PRINCIPES · MEMORANTIB·
GVILELMVM · VIIII · CVIVS · OPERA · BELLO · GALLICO
ADVERSVS · SFORTIAS · MEDIOL · DVCES · ENITVIT
BONIFACIVM · VI · IN · SVMMA · POPVLORVM · SPE
ADVERSO · CASV · EXSTINCTVM · ET · IOANNEM
GEORGIVM · IN · QVO · PALAEOLOGA · GENS · QVAE
AN · M · CCC · V · A · THEODORO · ANDRONICI · GRAECOR ·
IMP · F · INITIVM · HABVERAT · PENITVS · DEFECIT
AN · M · D · XXXIII

VALETE · O · BONI · ET · HAVETE · SI · AEQVI · ET
MISERICORDES · IN · MORTALES · FVISTIS · SECVRI
IAM · RERVM · HVMANARVM · BEATA · IMMORTALITATE
CVM · DEO · FRVIMINI

XXXII.

ALEXANDRIAE

IN VICO LVCIANEO

Postrid. Non. iun. an. MDCCCXXXV.

ABSISTE · HOSPES
FVGE · OMINOSAM · DOMVM
TRISTES · REFERAM · CASVS
SVMMIS · IN · AEDIBVS · IVDAEA · VIRGO
NITENS · IVVENTA · NVPTIAS · PROPERABAT
COENATVM · VENIVNT · AD · VINVM · DISERTI
SECVNDIS · MENSIS · HIMENAEVM · VOCANT
TVNC · HISCENTE · SOLO
FINDVNTVR · PARIETES · IMI · SVPERNI
NEQVIDQVAM · OBNISI · PRAECIPITES · RVVNT
DIVERSA · VBIQVE · MORS · FILIO · INCVMBIT · PATER
FILIA · MATREM · COMPLEXA · VNA · PROLABITVR
EXANIMIS · ILLA · INFELICIOR · ALTERA
ELISA · RIMIS · SINGVLTIM · ANHELAT
MIXTI · SENIBVS · IVVENES · IACENT · PVELLAE · VIRIS
FIT · CLAMOR · FERALES · CVRRVS
STIPATA · CORPORA · PER · VRBEM · TRAHVNT
PARS · PROPINQVVM · ALII · AMICVM · AGNOSCVNT
ET · INIMICVM · INTVENS · NEMO · ABSTINVIT · FLETV
VIDES · VT · INSTANS · FATVM · MORTALES · VRGET
LAETI · LVDENTES
DAMNATA · TVRBA · IN · ORCVM · TRVDIMVR
HIC · VBI · NVPTIALE · CARMEN · ITERABANT
PER · SOLITVDINEM · NOCTVA
LVCTIFICAS · INGEMINAT · VOCES

XXXIII.

AD MONVMENTVM

MARCHIONIANVM.

Tituli, si libeat, inscribendi basi plegmatis e marmore, quo nobilis statuarius, Iosephus Bollianius Taurinensis, Marchionnae matris et filiae supremos amplexus ac paene verba feliciter expressit.

I.

VNA · IBIMVS · O · MATER

SI · TE · SANCTE · IN · TERRIS · DILEXI

NE · SOLAM · LINQVE

TE · PROPTER · NVPTIALES · TAEDAS · ASPERNATA

VMBRATILEM · VESTAM · IN · AEDIBVS · COLVI

TV · MIHI · PRAESIDIVM · ERAS · TV · SPES · TV · PATER

TE · ABEVNTE · NVLLVM · MISERAE · SOLATIVM · RESTAT

IVRO · PER · CAPVT · TVVM · PER · EXTREMOS · AMPLEXVS

DVLCIOR · MIHI · MORS · QVAM · LVX · SINE · TE · VISENDA

VNA · DIES · NOS · MORIENTES · VIDEAT

VTRASQVE · ANIMAS · AMORE · SIMVL · DEVINCTAS

COELO · EXCIPIAT · DEVS

II.

DIGNA · TE · MANEANT

TANTAE · PIETATIS · PRAEMIA

VNVM · ORO · NE · TE · ABSVMAS · FLETV

PLACIDO · CVRSV · AD · METAM · PERVENI

FELIX · QVAE · TIBI · VITALES · AVRAS · PRAEBVI

FELIX · QVAE · TE · NVNC · MORIENS · TENEO

NEC · TE · FILIA · DESERAM

VIVIT · POST · ROGALES · FLAMMAS · MATERNVS · AMOR

TE · SEQVAR · NON · VISA

SAEPE · IN · SOMNIS

AEGRAM · SOLABOR · SPEM · INFVNDENS · ANIMO

EXPERGEFACTA · CLAMABIS · EN · ADES · O · MATER

XXXIV.

AD SEPVLCRETVM VRBIS.

H · S · E ·

ANNA · REDIVIVA · SCHINA

ARNOSII · OLIM · VXOR

NVPER · MEA

QVAE · CERTA · PRO · VIRO · ANIMAM · PONERE

ME · CONCLAMATA · SPE · MORBO · IACENTEM

ASSIDVIS · CVRIS · RECREAVIT

VOTI · COMPOS

ALTERNA · VICE · LIBENS · OBIVIT

XIII · KAL · FEBR · AN · M · DCCC · XXXVI

VIXIT · ANN · LVIII

SI · QVOD · PRAEMIVM · AMANTI · CONIVGI · EST

HOC · TIBI · TRIBVAT · DEVS

O · VXORVM · OPTIMA

A · M · VASSALLVS · MARITVS · ET · IOAN · ARNOSIVS · F ·

CVM · LACRIMIS · POSVIMVS

XXXV.

AD SEPVLCRETVM VRBIS.

H · S · E ·

LVDOVICVS · BONIFACI · F ·

E · MARCHIONIBVS · VILLAE · NOVAE · SOLARIAE

HIC · SACERDOTIVM · IVVENIS · ADEPTVS · INNOCENTIA
MORVM · ET · TOTIVS · VITAE · DIGNITATE · IMPOSITO
SIBI · MVNERI · SATISFECIT · LENITATIS · ET
MISERICORDIAE · PARTES · CVM · RECTI · STVDIO
CONIVNXIT · NATVRAE · BENIGNITATEM · VBIQVE
SECVTVS · RELIGIONEM · SIC · INTERPRETATVS · EST
VT · SVA · OMNIA · CVM · CALAMITOSIS · PVTARET
COMMVNIA · MAXIMVM · HONESTAMENTVM · IN · CVLTV
INGENI · POSVIT · IPSE · STVDIOSISSIMVS · ET · SITIENS
DIVINARVM · LITTERARVM · SACRORVM · ALVMNOS
STATIS · DIEBVS · DOMI · HABVIT · QVI · ALTERNIS

DISPVTATIONIBVS · SE · MVTVO · ERVDIRENT · ANTE
DIEM · SVVM · GRAVI · CASV · DEPREHENSVS · SEX
MENSES · DECVBVIT · FRACTO · CRVRE · NEC · AMPLIVS
COEVNTE · MOX · HIDROPE · TENTATVS · NVNQVAM
INDOLVIT · NEC · ALIOS · VICEM · SVAM · QVERI
PASSVS · EST · CETERIS · INGEMISCENTIBVS · IMMOBILI
IN · DEVM · FIDE · VNVS · OMNIVM · SERENVS
MORTEM · OBIVIT

EIVS · FVNVS · AMICORVM · ET · INFELICIVM · LACRIMIS
HONESTATVM · EST

DECESSIT · III · NON · FEBRVAR · AN · M · DCCC · XXXVI
VIXIT · ANN · XXXVIII

XXXVI.

AD SS. TRINITATIS.

V Non. mart. an. MDCCCXXXVI.

Ad templi fores.

LVDOVICO · SOLARIO
SACERDOTI

COLLEGI · THEOLOGORVM
A · PRIVATIS · LARGITIONIBVS · REGIS
IVNIORES · SACERDOTES · ET · ALVMNI · SACRORVM
QVOS · DE · DIVINIS · LITTERIS · DISPVTANTES
DOMI · PERHVMANITER · HABVIT
MEMORES · COMITATIS · ET · VIRTVTIS · EIVS
XXX · POST · MORTEM · DIE
FVNVS · INSTAVRANT

Ad templi valvas.

LVDOVICVS · BONIFACI · F ·

E · MARCHIONIBVS · VILLAE · NOVAE · SOLARIAE

IVLIO · SINEO · VITAE · ET · STVDIORVM · MONITORE
A · PRIMA · ADOLESCENTIA · VSVS · EST · MOX · IN
OBEVNDO · SACERDOTIO · ANTIQVAE · CONTINENTIAE
EXEMPLAR · PRAEBVIT · CARITATEM · IN · HOMINVM
GENVS · IN · PRIMIS · COLVIT · OPIBVS · CONSILIOQ ·
IVVANS · QVOS · VTI · PARENS · VERBIS · CONSOLARETVR
IDEM · PVELLAS · INOPIA · DERELICTAS · SVO · AERE
DOTAVIT · ET · PAVPERVM · CASAS · INVISENS
INSPERATO · EGENTIBVS · ADFVIT · IDEM · OBFIRMATO
SVPRA · VIRES · ANIMO · SONTES · AD · SVPPLICIVM
COMITATVS · EST · NE · PIA · SOLAMINA · IN · SVPREMIS
ANGORIBVS · DEESSENT · DIVINIS · DOCTRINIS

INCVBVIT · ET · SVRGENTIA · INGENIA · DOMI
PROPOSITIS · QVAESTIONIBVS · EXACVIT · RHEDA
EXCVSSVS · OBTRITO · CRVRE · DIV · ELANGVIT · DEIN
SVPERANTE · MORBI · VI · INVICTVS · SPE · SAPIENTIBVS
ALLOQVIIS · DOLOREM · LENIENS · AMICORVM
PLACIDE · QVIEVIT

DECESSIT · III · NON · FEBRVAR · AN · M · DCCC · XXXVI
VIXIT · ANN · XXXVIII

AETERNVM · VALE · O · ANIMA · CANDIDISSIMA
NOSQVE · MOERORI · HIS · IN · TERRIS · RELICTOS
IDENTIDEM · RESPICE

XXXVII.

AD SEPVLCRETVM VRBIS.

H · S · E ·

CAIETANVS · MARIA · XAVERI · F · SALOMO

I · C ·

OB · INGENVOS · MORES · ET · COME · INGENIVM

MATRI · CARIOR · QVAM · IPSA · SIBI

CVI · VICISSIM · PAR · STVDEBAT · REFERRE

HIC · IN · PRIMA · IVVENTA

RVRE · CARPENTO · REDIENS

TVRBATIS · EQVIS · PRAECEPS · TRAHITVR

INCOLVMIS · HVMI · DESILIIT · MISER

AT · ERVMPENTE · INTVS · SANGVINE

PRAEFOCATIS · MOX · FAVCIBVS

INTERIIT

IDEMQ · NVNTIVS · ET · CASVM · ET · MORTEM · ATTVLIT

VIII · KAL · IVL · AN · M · DCCC · XXXVI

VIXIT · ANN · XXV

EVGENIA · GROSSO · ORBITATI · RELICTA

ANIMAE · DVLCISSIMAE

IN · QVA · MEAE · SPES · OMNES · ERANT · SITAE

PACEM · SVPERVM · ADPRECATA

CONTRA · VOTVM · POSVI

XXXVIII.

REGIA PROLE

BRICHERASIVM ADVENTANTE

TITVLI VICATIM POSITI

mense iul. an. MDCCCXXXVI.

IN · ADVENTV · PRINCIPVM · IVVENTVTIS
VICTORI · DVC · ALLOBROGVM
ET · FERDINANDI · DVC · GENVENSIVM
PVBLICAE · GRATVLATIONES · ET · VOTA
ADESTE · OMNES
REGNI · SPEM · INVISVRI
LAETVMQ · DIEM · CANDIDIORIB · INSCRIBITE

SEQVERE · ORTVS · TVOS
INVICTI · PATRIS · STRENVA · SOBOLES
PERQVE · MAVORTIA · PROELIA
SI · HOSTIS · ADSIT
FILIBERTO · ET · EVGENIO · FELICIOR
ORNAMENTA · SECVLI
ADIVNGE · VIRTVTIBVS · AVORVM

PARVMPER · CONSISTITE
NE · PROPERETIS · O · FORTISSIMI
QVI · CIVES · ET · AGRORVM · INCOLAE
VOS · SALVTATVM · CONVENIMVS
IN · CLIENTELA · SVMVS
PINEROLIENS · PONTIFICIS · CVIVS · SAPIENTIA
PVERITIAE · VESTRAE · PRAELVXIT

E · MONTANIS · ARCIBVS · REVERSI
VBI · SVBALPINA · FIDES · ENITVIT
MITTITE · NVNC · BELLICAS · CVRAS
EN · INTER · FLAVESCENTEM · CEREREM
ET · SECVRA · OTIA · RVRIS
ADFLVENTIVM · POPVLORVM · STVDIVM
FIRMISSIMVM · REGVM · MVNIMENTVM

XXXIX.

IN R. VIRIDARIO

AD VALENTINVM.

Titulus basi insculptus hermetis e marmore
Reginae M. Theresiae.

EN · TIBI
MARIA · THERESIA
SVAM · FLORA · SVBMITTIT · SOBOLEM
TVO · ADRISV · PVLCHRIOREM

XL.

In Villula prope Novariam.

MEMORIAE
MATILDAE · MANINIAE
GENERE · MEDIOLAN ·
VXORIS · MEAE
QVAE · PER · ANN · XLV
CONSORS · FORTVNAE · ET · LABORVM
COMMODA · SOLERS · FRVGI
MECVM · SINE · IVRGIO · VIXIT
ET · INSIGNI · FECVNDITATE
DOMVM · VTRAQVE · SOBOLE · AVXIT
IOSEPHVS · RASARIVS
CVM · LACRIMIS · POSVI
AN · M · DCCC · XXXVI

HVC · VNDE · AGELLVM · PROSPECTANS
VERNIS · AVRIS
LANGVIDVLVM · PECTVS · FOVEBAS · O · CONIVX
INTERDVM · REDI
TACITO · SERMONE · VIRVM · SOLATVRA

XLI.

Garlasci in aedibus publicis.

REGI · CAROLO · ALBERTO
QVOD
INDICA · LVE
AGROS · CIRCVM · VASTANTE
LVSTRATA · LAVMELLINA
POPVLORVM · SALVTI
SVO · IPSE · PERICVLO · PROSPEXERIT
CVIVS · ADSPECTV · ALLOQVIO
CONFIRMATI · REGIONIS · INCOLAE
FELICITATEM · PROVIDENTIAE · PAREM
OPTIMO · PRINCIPI
EFFVSO · GAVDIO · PRECATI · SVNT
CVRATORES · GARLASCI
OBSERVANTIAE · ET · GRATI · ANIMI · ERGO
AVSPICATISSIMVM · ADVENTVM
TITVLO · MANDANDVM · CVRARVNT
PRID · KAL · SEPTEMBR ·
AN · M̄ · D̄C̄C̄C̄ · X̄X̄X̄V̄Ī

XLII.

AD S. ROCHI.

VIIII kal. febr. an. MDCCCXXXVII.

Ad templi fores.

IOANNI · B · IORDANO

CVRIONI

SACERDOTES · ALVMNI · SACRORVM

ET · CVRIALES

SACERDOTI · SPECTATISSIMO

EXEMPLARI · VITAE · PRIORIS

AERE · COLLATO

PARENTANT

Ad templi valvas.

IOANNES · B · PAVLLI · F · IORDANVS

DIVINARVM · LITTERARVM · STVDIO · PLENIOREM
SCIENTIAM · IVRIS · PONTIFICI · ET · MVLTORVM
SERMONVM · ADIVNXIT · VNA · CVM · SACERDOTIO
MAGNVM · ONVS · SIBI · IMPOSITVM · ARBITRATVS
NVLLVM · IN · EO · OBEVNDO · LABOREM · AVT
PERICVLVM · DETRECTAVIT · IN · CONSOLANDIS
INFORTVNATORVM · DOLORIBVS · EFFICACISSIMAM
VERBORVM · LENITATEM · ADHIBVIT · SVAQVE · OMNIA
CVM · IPSIS · COMMVNIA · ESSE · VOLVIT · IDEM
INTEMPESTA · NOCTE · MAPALIA · PAVPERVM · INVISENS
ESVRIENTIBVS · IMPROVISO · SVBVENIT · MORBO · PER
SOLITVDINEM · EXANIMES · FOVIT · ET · ALGENTIA
PVERORVM · CORPORA · SVIS · IPSE · MANIBVS
CONTEXIT · IDEM · IN · SQVALORE · CARCERIS
MALEFICORVM · ADSPECTVM · HAVD · EXHORRVIT

EOSQVE · IN · SPEM · PLACANDI · NVMINIS · ERECTOS
NEQVIDQVAM · RELVCTANTE · NATVRA · AD · NECEM
COMITATVS · EST · INTEGRAS · DE · RELIGIONE
DOCTRINAS · POPVLO · FIDELITER · TRADIDIT · SENIO
CONFECTVS · CVRIA · SECVNDIS · ADVERSIS
TEMPORIBVS · PER · $\overline{\text{L}}$ · ANN · RECTISSIME · GESTA
LAMENTANTIBVS · OMNIBVS · MORTALITATEM · FINIVIT
OBIIT · $\overline{\text{VII}}$ · ID · DECEMBR · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{XXXVI}}$
VIXIT · ANN · $\overline{\text{LXXXI}}$

XLIII.

AD

CAROLVM ALBERTVM

PVERVM

CASTAGNETTI COMITIS F.

FORTVNATE · PVER

BONIS · ORTE · PARENTIBVS

ESTO · DECVS · TVORVM

TIBIQ · CANDIDA · OMNIA · EVENIANT

QVEM

REX · CAROLVS · ALBERTVS

SPONSOR · FELICITATIS · TVAE

SVO · NOMINE · IMPOSITO

AD · SACRVM · FONTEM · SVSCEPIT

XLIV.

AD SEPVLCRETVM VRBIS.

H · S · E ·

CANDIDVS · FELICIS · F · VACHA

SENATOR

HIC · CELERITATE · MENTIS · ET · RECTI · SENSV
IN · IVRISPRVDENTIA · CVM · PAVCIS · ENITVIT · SVB
GALLORVM · DOMINATV · IN · PRIMIS · HONORIBVS
INVIOLATA · FAMA · CONSEDIT · RESTITVTO · REGNO
PROBATA · IAM · SVIS · CIVIBVS · INDVSTRIA · IN
SENATVM · IVRI · DICVNDO · ADLECTVS · ABSTINENTIA
OPTIMIS · PAR · OB · VERITATEM · IVDICIORVM · IVSTI
TENAX · IDEMQVE · LEGVM · SCIENTISSIMVS · HABITVS
EST · PERTVRBATA · CIVITATE · AD · PVBLICAS · RES
TVMVLTVARIE · ACCITVS · INTER · INFENSOS · ET

FACTIOSOS · INVIDIAM · SAPIENTIA · EFFVGIT · IN
DEVM · PIVS · AMICIS · COMIS · FAMILIARES · SERMONES
VRBANA · FESTIVITATE · CONDIVIT · CAROLAM
BALZETTIAM · VXOREM · VNICE · ADAMAVIT · ET
CVM · EA · VIXIT · SANCTISSIME · POSTRIDIE · NON ·
IANVAR · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{XXXVII}}$ · MANE · IN · CVRIAM
PROFECTVS · REPENTINO · MORBO · SIMVL · CORREPTVS
ET · EXSTINCTVS · EST · EIVS · FVNVS · INSIGNE
LVCTV · BONORVM · FVIT · VIXIT · ANN · $\overline{\text{LV}}$
CAROLA · BALZETTIA · VXOR · CONTRA · VOTVM · POSVI

VERSIONE

DELLE ISCRIZIONI XXIX, XXX, XXXII, XXXIII

FATTA

DA

FELICE ROMANI

XXIX.

Oh ! chiunque sii tu, di me ti duoli
  Giovane Rossignoli,
  Fra gli Ingegneri Colonnel secondo,
  Da ventura crudel rapito al mondo.
  Dalla Ligure vetta, io per la china
  Movea ver Novi al fatal ponte innante
  Che Rigoroso ahi! ben nomò la gente :
  Quivi i corsier con subita ruina,
  Balzato il condottier, le briglie infrante,
  Traggono il cocchio gli argini radente.
  Nel soggetto torrente
  Piombiam, cocchio, cavalli e viandanti;
  Stipati, oppressi, ansanti,
  E colla morte riluttanti appena
  Tutti ne inghiotte la vorace piena.
  Lassi ! non fu presente
  Nè suora, nè parente
  A lagrimar gli estinti, e me straniero

Di terra ricoprì straniera mano.
Deh! se infortunio umano
Ti move, o passaggero,
D'un sospiro conforta il cener mio,
E miglior fato a te conceda Iddio!

XXX.

I.

Eufrasia! inclita Donna! è risalita
Al fonte della vita
Maria pur dianzi tua! Maria si abbella
Di nuova età, di gioventù novella.
A tanta sua ventura
Non invidii importuno il tuo dolore:
Quaggiù piacer non dura,
E a dì tristo succede un dì peggiore:
Gelida notte e oscura
Tutti ci avvolge e preme:
Spesso a sciagure estreme
Dà fine lagrimata sepoltura,
E d'immortalità morte ha le chiavi.
Questo agli assidui e gravi
Affanni di quaggiù termine impose
Il Dio padre e motor di tutte cose.

II.

Leggiero spirto io tua MARIA discendo
A consolarti in sogno, o Madre amata.
Pon fine al lutto, e non voler piangendo
Me lamentar, che sono alma bëata.
Alto son io volata
Quanto volan gli Spirti, e della vita
Giunsi ai perenni rivi;
Quivi io mi poso, e quivi
Del Ver mi pasco, e beo gioia infinita,
Qual non potrìa ridir labbro terreno,
Mentre il vostro piacer dura un baleno.
Altrui Tu serba intanto
Il nuzïal monile,
Ed in ostello umile
Cerchi altre figlie il tuo materno zelo:
Ospite e alunna in cielo,
Primo rifulse all' intelletto mio
Che il beneficio alza i mortali a Dio.

III.

Ah! non la tua sventura,
Bensì la mia lamento,
O Figlia, unica gioia a me rapita.
Siedo in deserte mura,
E un tuo soave accento
Indarno io chiedo nel mio duol romita.
O luce di mia vita,
Delizia mia! Quando eri tu più lieta,
Io gioiva con te della tua gioia:
Io di notte inquïeta
Dolce parlando ti molcea la noia:
Godea se tu reggevi
Lieti e virginei cori;
Godea se di colori
Sidonio lin pingevi;
E quando a te giacente ansia io vegliava,
Della speme io godea che a me parlava.
Ahi lassa! un giorno solo

Seco portossi a volo
Gioia, speranza, e tema,
Ed io me piango da ciascun compianta.
Or te beata e santa
Tien regïon suprema:
In ciel tu sei... ma impenetrabil velo
Copre ad occhio mortal le vie del cielo.

XXXII.

Non t' innoltrar: questa magion fatale
  Fuggi, o stranier: caso io dirò dolente.
  Moveva a nozze nelle somme sale
  Vergine Ebrea di gioventù fiorente.
  Già si colman le tazze, e il nuzïale
  Carme già scioglie la festosa gente;
  Quand' ecco, ecco improvviso... orrendo a dirsi!
  Crollar le mura, e il pavimento aprirsi.

Cadon tutti... ahi! fu un lampo... e tutti preme
  Morte in sembianze orribili e diverse.
  Pesa sul figlio il padre, e giunte insieme
  Madre e figlia precipitan riverse:
  Resta esanime quella, e questa geme
  Tra i fendimenti che il conquasso aperse:
  Giaccion franti e stipati un l'altro appresso
  D' ogni età sventurati e d' ogni sesso.

Alto è il clamor. Cocchio feral le morte
Salme strascina per le vie frequenti:
Chi deplora l'amico, e chi il consorte,
Chi perfin sul nemico alza lamenti....
Ahi! qual preme i mortali acerba sorte!
Noi siam lieti un istante, all' altro spenti!
Quì, dov' inno d' amor suonò pur ora,
Notturno augel fra le macerie plora.

XXXIII.

I.

Deh ! insiem ne andiamo ! Se quaggiù t' amai
Di santo amor, deh ! sì deserta in questa
Vedova terra non lasciarmi, o Madre.
Per te le faci d' Imeneo sdegnai,
Mi furo i lari nostri ara di Vesta,
E in te m' ebbi marito e speme e padre.
Ahi ! d' ombre oscure ed adre
Si copre ogni mia luce al tuo partire.
Pel capo tuo, pel bacio estremo il giuro,
La vita io più non curo,
E se mi unisco a te, dolce è il morire.
Deh ! insiem ne andiamo ; ed il tuo spirto e il mio
Volin come colombe in seno a Dio.

II.

Oh! della tua pietade il Ciel ti assenta
Degna mercede! e non voler, qual fai,
Tenera figlia, consumarti in pianto!
La meta de' miei dì corsi contenta;
Felice che del Sol ti diedi ai rai,
Felice ancora che ti muoio accanto.
Non io ti lascio: il santo
Amor materno è dopo il rogo ardente,
E in ciel, fonte d'amor, più forza acquista:
Te seguirò non vista;
I sogni tuoi lusingherò sovente;
E più serena tu, desta all' aurora:
Madre mia, sclamerai, sei meco ancora.

VERSIONE

DELL' ISCRIZIONE XLI

FATTA

DALL' AVVOCATO

GIOVANNI CAPPA

VICE INTENDENTE

Quando l' indica lue pel circostante
  Egro paese come incendio corse,
  Più di sue genti che di sè curante,
  Re CARLO ALBERTO in Lomellina accorse.
  Tutti di vita in forse
  Ebber virtù dall' almo aspetto i cuori;
  Tutti esultár come al venir d' un Dio.
  Grati e devoti al PIO
  Dell' illesa Garlasco i reggitori
  Consacran pietra ad ogni età scolpita,
  Testimon del periglio e dell' aíta.

INDEX.

FINIS.



